hemorhagia

Recipe aluminis crudi: trzy uncye cui adde, chalybis v ferri candentis in aqua extincti balsam się z tego zrobi, na smarowanie p modis balsami,

Eremedi: mleko, y staliy gaszona w mleku z Aptekarza, albo żelaza, na ... a chalybis ...

[illegible]

ex quodam authore excerpti.
Mad medendi affectioni
hæmorrhoidali — excerpt. ex Autore
Medici Doberi Heines. assue...
Modernum Symptoma hæmorrh-
idale effectio est, affectionis in sara
fomentis aut plane sepositi. Ex
propter cum summa prudentia tractetur
id malum, ne citius quam par est stringatur
nam jam dudum pulsu ... t.
Sequitur motus sanguinis ad ... pro-
rejiciens pelli ... hic accipiatur pulvis
ad sanguinis motum sedandum bis vel ter
in die
in potu herbe the. dein si magna
debilitas sequatur sumatur gutta sub
litera B. ad sistendum fluxum
sanguinis singulis diebus bis vel ter,
à sex horis ad sex usque ... guttas 50.
in vino rubello valachico vel plane ...
... dein ratione hepatis, ...
... curationem ...
... institui ...
1. ... cum potiuncula: hic ...
2. Sumatur ... guttæ albericæ post laxa...
... 50 et 60. in infusione ex herbis ...
... incipere.
3. ... in ista curatione ab ...
... Flatu generatio

aut constipationi inducentib. sicuti sunt farinacea, pisa, caules, Kapusta, rzepa, panis siccus, polewki z siligniaczej. Caseus. ~~...~~ lac. etc.

4. Condycunt omnia austera pryszcze et subacida, y in potu, vel in cibis;

5. Commotio sit frequens, plenaque ante prandium, y ante coenam per mediam horam, y alteram:

6. Neque famem, neq sitim tem in hoc morbo utilis est, mens sit pacata et hilaris; medicamenta praescribuntur morbi hemorroidal.

℞ Man. Calabrina dwa łoyt nap.
Salis Anglic. aa ʒ j v. 3. uj łota półtora
Rhabar. Elect. ʒ j rumbar. przebrani
partes aequal. una drachma singula aeque partes
Sem. Badian. aa. 3 aequales
Coquatur in ▽ aqua Cichorei — ʒ iij tot wody
Filtretur et detur ad laxand.
praecedentis.
℞ Rhabar. Elect. ʒ ij dwie drachmy
Radix Chelidon. maj. aa. ʒ iij pół łota.
infunde... splen. ... ʒ iiij
et filtretur e manica hipocras
detur, synteq. 50. ad 60 guttas
sumat post laxationem singulis diebus mane.

SEBASTIANI SLESZKOWSKI,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris,

OPERA MEDICA DVO;

Vnum,

PRAXIS PHLEBOTOMIÆ;

Quâ

Aditus facilimè aperitur ad omnes morbos, qui à sanguine ortus sui primordia ducunt, curandos.

Alterum,

DE FEBRIBVS LIBER;

Non solùm Medicis ad curandum; verùm etiam reliquo omni hominum generi ad præcauendum apprimè vtilis, ac necessarius.

CRACOVIÆ,
Typographo Stanislao Germanski.
Anno, 1616.
Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

Cælicolis magnus sit quoq; terricolis.

Hic Virtutis Honos celsum pro-
spectat Olympum.



Labore Virtus, Virtute Gloria,
paratur.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO
DOMINO,
D. SIGISMVNDO GRVDZINSKI DE GRVDNA, PALATINO RAVEN. CAPITANEO INNOVVLADISLAVIEN, &c.

Domino suo Colendißimo.

SEBASTIANVS SLESZKOWSKI
Libens, Lubensq; inscribit, & dicat.

MAgnũ, & illustre munus est, Illustris Domine, Medicina

Medicina. quia à *Magno Deo* institura, à magnis in magno precio habita. *Ab Altißimo est Medicina, & à Rege stipendium accipit*, in qua ipsa æterni Patris æterna Proles Christus Seruator noster, generis humani Medicus, excellere voluit, &

ducere ab Orco
Extinctos homines, iterumq; animare sepultos.

Raphaëlem Hebræi volunt huius artis opus exercuisse; sed & suos Reges atq; Principes viros, Antiquitas. Sabor, Xyrasus, & Giges Medorum; Sabid⁹, Arabum; Mithridates Ponti; Ægyptiorum Hermes; Dionysius Siciliæ; Pyrus, Epirotarum; Gentius, Sclauoniæ; Lisimachus, Macedoniæ; Euaxus, Arabiæ; Iuba Maurita-

nię;

niæ, Reges: Democrit⁹, Thime⁹, Locr⁹, Plato, Aristoteles, & alij nobilissimi Philosophi, arte, styloq́, in hac elaborauere. Non est profectò alia supra hanc scientiam. quia reliquæ omnes, nec semper, nec omnes in vsu: hæc necessaria omni ordini, sexui, ętati, ex quibus totum hoc magnum componitur corpus. Namq;

Reduces hæc tradere vitas
Nouit, & in cœlum manes reuocare
sepultos:

dum luxum in omni re prohibet; sed etiam vitam, salutemq́; conseruat: labefactatas cordis vires reficit: cerebri spiritus fulcit: perpurgat mentis organa; expollit ingenium, recreat memoriam, atq; totum corporis statum in meliorem commutat

 formã

formam: Nouit quippe admirandam rerum creatarum vim: nouit causas morborum, & modos auertendi morbos; atq; ita aut rebus singulis, aut varia variarum temperie omnẽ ab humano genere auertit intemperiem, aut iam ortam eradicat. Reuera eius est virtutis hæc scientia, vt

Sæpius expulsis morbis de morte triumphet.

Vitam ipsi debemus, & à nobis certatim stare Antiquos video, qui Medicos, vt Apollinem, Æsculapium, Machaonem, Asclepiadem, & alios innumeros, (quos hîc prætereo)

Diuorum altaribus augent,

verùm etiam omne æuum, vetus, medium, nostrum, huic magnæ scientiæ principem vbique tribuit lo-

it locum,& eius cultoribus præmia. Hippocrati, ob seruatam à peste Græciam, Senatus, Populusq; Athenien. ludos decreuit: aureâ coronâ mille aureorũ insigniuit: Seruatorem, Patrieq; appellauit Patrem. Erasistrato, propter Antiochum Regem sanitati restitutum, Ptolomæus Rex numerauit centum aurea talenta. Paucis dico. Academiarum per totam Europam plerasque insignes, & celebres, plerique Christiani Imperatores erexerunt, in ijsq; locum principem Medicinæ, & Medicis præmia. Fuerunt D D. Reges, qui hanc Academiã nostrã Cracouien. & in ea artẽ medicã, mirificè fouerunt: fuerũt & alij tã Senatorij, quã Equestris Ordinis, plurimi viri, qui hanc i-

psā mirū in modū promouerūt. Quid dico? Etiam Tibi, Illustris Dñe, studia literarū debent pluri mū: debet ars Medica. Namq; adeò Tibi cum reliquæ õnes, tum hæc magna scientia est cordi, vt Professores ipsius miro complectaris amore, & munificentia. Et ab hac prima causa, magnæ hui⁹ sciētiæ hāc partialē Praxim Phlebotomiæ succinctim collectam, cui Opusculū de Febribus adieci, in quo naturas febriū, earumq; Causas, Signa, Prognoses, & modum curandi, aperio, magno illustris Dñe, Nomini Tuo

Humiliter Do,
Reuerenter Dico,
Perenniter Cōsecro.

Iam si splendor, aut fama, Operi ab illustris tituli inscriptione

que-

quæritur, posſumné magis inclytù Nomé, quá GRVDZINSCIORVM (quos hîc ſileo, quia in exigua tabella nequeunt pingi) præferre? Æui Heroës illi ſunt, & eminere imò præeſſe in Orbe nati. Nobiliſsima hęc Familia multos Senatores, multos viros principes, pace, belloq;, Reipub. vtiles, conſilio, armis, induſtria, vigilantia, prudentia, & multo rerum vſu inſignes, in lucem edidit. Atq; hæc Familiæ ſiue laus, ſiue æternitas, etiam Tua; qui Familiæ nobilis ramus potis es

Sanguine cenſeri, pictoſq́; oſtendere vultus
Maiorum,

ab hac nobili

STIRPE,
ſed etiam *VIRTVTE,*
ERVDITIONE,
DIGNITATE,
Grudzinski es, & in inclyto Poloniæ Regno inclytũ, auitũq; *Maiorũ* nomen tueris. Et non difficulter. quia eas dotes, atq; virtutes, ſtatim ab ineunte æui flore prętuliſti, quibus maiorem lucem luci *Maiorum* adderes. Namq; Te ad verum decus nitentem ingenij cultus, illaq; ſtudia exceperunt, à quibus facilis in omnes dignitates decurſus. Facilis Tibi, *Deo* duce: quia pulchrum cenſuiſti:

Virtutem extendere factis,
& gloriam non in facili putauiſti, iuxta illud:

Ardua per durum gloria vadit iter;

quippe

quippe nunc, & magis olim, in fama bona, & gloria, esse proponis. *Suum cuiq; decus posteritas rependet.* Rependet Tibi, qui per templum *Virtutis* ad templum *Honoris*, quò Te
Cœlestis sapientia duxerit iîsti,
& iam intrâsti, magisq; talis esse pergis. In sancti° enim illud Cōsiliū, quod rerū, Stat°q;, vocāt, adscit°, id est, dignitate *SENATORIA* ornat°, & *PALATINVS RAVEN* factus, atq; Præfectura insignit° *Innouuladislauien.* omnia habes sine iactātia, procacia, vanitate In cōsilio id tenes, quod rectū. Nāq; vtramq; illam diuam, *iustitiam* nempe, & *Clementiam*, rectè sequeris : quia omnibus tribuis quod suū est, id est, meritis præmium, noxiis pœnam; sed etiam
simul

ſimul lenis, & temperas, etiam noxios eripis, lapſos erigis. *Diui*nitas quædam videtur, & eſt profectò hęc dignitas in Te, qui illã ſalutariter, & ex vſu Boni Publici habes. Mehercle procul à Te rei Tuę ſtudium, qui rectè cenſes, res priuatas ſemper offeciſſe, offecturaſq; publicis: & pręcipuum veri iudicij venenum, Reipublicęq; interitum, ſuam cuiq; vtilitatem. Vtinam in his, & aliis virtutibus plures Tibi ſimiles, qui gradu ſimiles! non verear dicere, illorum ornamento, Reipublicęq; pręſidio, rectiùs quędã administratum iri. Vtinam in Religione vera priſci ſenſus, priſci ritus, cuius myſticum liquorem pleriq; corrumpunt veteri aliqua, aut noua olenti fœce, & idcirco.

Dij multa neglecti dedere
Hesperiæ mala luctuosæ.

Tua Tu, *Illustris* Domine, vigili diligentia, & sedula asiduitate, amoues à Tua Patria, quia amoues sensus ab Orco à Vera Religione. *Mactè* hac mẽte *Tua*, quã adgnatam esse scio nonnisi optimæ cuiq; menti, perge in hoc tali passu fidenter: quippe hæc

Est summa virtus, petitur hac
cœlum via.

Taceo reliquas virtutes Tuas, quia

sermonis opem mens conscia
laudis
Abnuit:

& vna, ac verissima, hæc illius laus est, ex vero non posse laudari: Vnum inquio: In alta fortuna non abripi licentiæ ventris diffici-

difficile est: quia *inter tot obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas.* Non abriperis, *Illustris Domine*, quia in omnibus moderationem seruas, & hac salua, insertam habes grauitatem in vultu, authoritatem in verbis, & factis; simul etiam comitatem, atq; humanitatem: illas venerabiles, istas amabiles, adeò, vt in Te *OMNES* duplici isto ferātur adfectu *Venerationis* pariter & *Amoris*. Reuera in tantū Te virtus, & sapientia supra sęculi huius mores eduxerunt, vt confessione victæ æmulationis *Grudzinskiorum* Gentis priscis Heroibus adscribaris. *Magna* hæc, & maiora futura, si maior aliquis, & latior, Tuæ virtuti cāpus. Quod voueo, & addo, etiam

am me in Te, *Illustris Domi-*
ne, lubenter gratum fieri voluisse
qui gratus es in bonas *Musas*, &
ingenuas scientias. Omnis nimi-
rũ ętas docuit, hisce diuinis arti-
bꝰ & florẽtibꝰ ingeniorũ virtutibꝰ,
imperia crescere, & florescere. Et
hinc est, vt vnà cũ *Musis*, earumq́;
Domina Sapientia, etiam cultores
Musarũ ames, & promoueas in
vsũ *Boni publici*. Et ab hac vltima
inter priores causa, *Illustris* Dñe,
mea hæc Opuscula Tibi conse-
cro, in laudẽ *Magni Nominis* Tui
dicata, ab animo in cultũ Tui de-
uoto: quę ipsa Tibi *Magno* cẽseo
fore quoq; magna Etenim fama,
& æternitas *Musis*, & à *Musis*,
quicquid illis adhęsit,

Troica vincit
Sæcula, & Euboici transcendit
pulueris annos.

Rectè

Rectè Pindarus: *Sermo factis diutius viuit, quem cum Gratiis volentibus lingua extulerit è profunda mẽte.* Accipe itaq;, *I*llustris *D*ñe, hãc inscriptionẽ, velut animi cultusq; mei, in Te pign⁹: accipe vnà cum ipsa meipsum, impulsu beneficę Tuæ naturæ, in tutelã: accipe id, quicquid est ab ingenio meo, & *I*llustris authoritatis Tuę scuto cõtra maligni liuoris dẽtẽ defẽde meq; ad moiora attolle, ac promoue. Ego quicquid est in me ingenij, quicquid viriũ, in cultũ, laudemq; Tuam dico. *DEVS HOMINESQVE*, testes sunto: & ille Tutorem se porrò Tuum, *I*llustris *DOMINE*: isti fautores, in æuum præstent. Cracouiæ. x.. Calẽ: Octob.

CIƆ IƆC. XVI.

PRAXIS PHLEBOTOMIÆ, SEV Venæ ſectionis,

tam vniuerſalis, quàm particularis, libris duobus comprehenſa;

Quâ

Aditus facilimè aperitur ad omnes morbos, qui à ſanguine ortus ſui primordia ducunt, curandos.

Cum indice ampliſsimo, & vtiliſsimo.

AVCTOR

BENEVOLO

LECTORI

S.

EMitto ecce Praxim Phlebotomiæ, *mi Lector, & vereor, vt temperet sibi à me quorundam intemperies, cùm oculos ad æuum hoc flexi, quod pronum ingerere calumnias vtraq; manu. Voces iam audio, & præuideo; sed etiam iam ante contemno, & cùm* Demosthene *decretum habeo:* Calumniantium maledicta bonis factis diluere *quia scio*

Isthunc thesaurum stultis in lingua sitũ,
Vt quæstui habeãt malè loqui melioribꝰ:

& ampliùs: Aequo animo audienda esse imperitorum conuicia, & ad honesta vadenti contemnendum esse istum contemptum. *Plerisq; enim hæc primaria ars, & velut professio, vt, cùm ipsi nulli bono sint vsui, morsicent. Tu quisquis es, Lector bone, in bona causa faue, & in hoc vestibulo consiliũ instituti* Operis *nosce, ac eius formam* Praxim *tibi* Phlebotomiæ *damus, vt in hac re multorum laborem in venis incidendis, & sanguine minuendo, leuemus, & plerisq; consulamus erroribus, qui hic contingunt. Scio sanè hoc ipsum ante me multos, & quidem*

eximiè fecisse; sed ita fusim, & sparsim, vt legendis ipsorum scriptis haud facilè sufficias: neq; in vno aliquo opere reperias hæc omnia collecta. Ego verò huius magni agri velut partem aliquam excolui, & nouo planè modo in liberrimo ingenij cursu definiui, diuisi, notaui, ea quæ in hac parte Medicinæ pluribus annis experientia, viuo docentiũ ore, diligenti lectione, obseruationeq; haui: & quidem omnia percolui digniori quadam sermonis veste, & ita collegi, vt nihil omiserim, quod faceret ad formã, perfectamq; faciẽ, Phlebotomiæ *Porrò omnia succinctim, &, pro rerum magnitudine, breuiter. Etenim ad nullas me (quoad fieri potuit) disputationes, & argutiarum salebras, diffudi; sed pressis habenis currum hunc (vt sic dicam) continui intra orbitas Vsus, & Actionis.* Legẽ oportet esse, *ait Romanus Soph9* quæ iubeat, non disputet. *Et alter:* (dicta

Seneca

Quicquid præcipies, esto breuis, vt citò
Percipiãt animi dociles, teneãtq; fideles.

Horat. in art. Poët.

Hoc consilium, hæc forma nostri operis, quæ voueo, vt non tam aspecta, quàm inspecta placeat, viresq; à tempore capiat, & Poëtæ verbis:

Crescat occulto velut arbor æuo. *Vale Optime Lector, vtere, fruere, & me, atq; mea, ama.*

Hor. lib. 1. od.

PRAXIS
PHLEBOTOMIÆ,
SEV
Venæ ſectionis, tàm vniuerſalis, quàm particularis, libris duobus comprehenſæ;

Quâ

Aditus facillimè aperitur ad omnes morbos, qui à ſanguine ortus ſui primordia ducunt, curandos.

LIBER I
Praxis Phlebotomiæ Vniuerſalis.
CAPVT I.
Quot cauſæ, quotque ſint morborum remedia.

1. MOrbus debellari nequit, niſi eius accîdatur cauſa; quæ omnium morborum duplex inuenitur: Antecedens, & coniun-

Morborum omnium cauſa duplex.

cta. Etenim humor, vel proximè morbo adhæret, & sic continentem causam efficit. Hæc continens causa, si loco sit meabilis, fluxa, & liquida, iudicium attulit illi remedia Reuulsionem, & Deriuationem: Sin loco cedere nequeat, ei auxiliatur mollitio, exhaustio, & coctio, cucurbitula, dropax, sinapismus, cauterium, incisio: Si verò sit cõsistentia eius media, quæ vt parte sui quadam migrabilis, ita aliâ segnis hæret, mixtis remedijs vincetur.

2. ¶ Vel morbum fouet humor, & continentem causam constituit, diciturq; causa Antecedens morbi; huic sunt tria summa remediorum genera: Auersio, seu Reuulsio; Alteratio; & Euacuatio.

Auersio quid.

3. ¶ Auersio (quæ est tractio ruentis humoris ad locum oppositum procul ab affecta sede, rectè, & conuenienter facta: vt pars afflicta ab eius incursu tuta, ac libera esse queat) peragitur Phlebotomiâ, seu, venæ sectione, hirudinibus, seu, sanguisugis, cucurbitulis, scarificatione, enemate, glande, lotione calidâ, gallinis calidè admotis, fimo columbino, smegmate, cæterisq; calorificis, ac dolorificis.

Reuulsio quibus peragatur.

Alteratio quid.

4. ¶ Alteratio (quæ est statu vnius in alium commutatio, ab alteratione facta: vt amissa

vt amissa succorū qualitas pristinæ suæ qualitati restituatur) fit densando, illinendo, rarefaciendo, abstergendo, incidendo, emolliendo, indurando, laxando, obstruendo; & hoc, si qualitate sua deflexerint humores, qui causæ Antecedentis rationem habent.

Alteratio quibus fiat.

5. ℭ Euacuatio (quæ est eorum, quæ præter naturā in corpore continentur, expulsio) fit exclusione è corpore, vel inutilis tantùm materiæ; & hoc fit pharmaciâ, seu, purgatione (quæ est humorum, qui qualitate in vitio sunt, artificio comparato ad imitationem naturæ, extirpatio) per loca lege naturæ consentanea, nec ex euentu dissentanea: vel perficitur extractione è corpore succi vtilis simul cum inutili; quod absoluitur Phlebotomiâ seu Venæ sectione. Et de hac vltima duntaxat, id est, Phlebotomiâ, hîc agere intendimus.

Euacuatio quid.

Euacuatio quibus absoluatur.

Pharmacia quid.

CAPVT II.

Vsus, & vtilitas Phlebotomiæ varia ac multiplex.

1 Vena aperitur ad reuulsionem, & ad vacuationem causæ antecedentis;

amotionem coniunctæ; temperamenti redintegrationem, atq; materiæ morbificæ præparationem.

2. ¶ Venæ sectione auctiorē redditam materiam, ne putrescat, è corpore excludimus.

3. ¶ Vtq; natura leuata onere, reliquū, si quid superest, rectè gubernet: non enim facilè putrescit succus in corpore, nisi copia fuerit ea, cui par natura non est.

4. ¶ Accîsa nimiâ copiâ, ilico transpirat corpus, ac auctor putredinis obstructio abigitur: nam omnis euacuatio corpus siccat; Siccum, inquit Hippocrates, sanitati magis studet, quàm humidum.

5. ¶ Quare in omnibus, vbi non abit longè materia à natura sanguinis, vtilis erit Venæ sectio: nam & in melancholia vsum eius non renuit Auicenna. Et Galenus in exigua obstructione, quam nondum secuta est putredo (vt in ephemera) Venam soluit, etiamsi notæ plenitudinis absint, vt obstructionem vitaret; obstructionis magnitudo elucet ex vi febris. Quare Galenus dicebat: Saluberrimum esse in omnibus febribus Venam aperire: ne illæ ab hoc foco materiæ morbificæ foueantur.

6. ¶ Adeò vtilis est Phlebotomia, vt si

materia

materia non longè abierit à sanguine, ea sola debeamus esse contenti; reliquum vero tantùm per sudorem, & vrinam, exhaurire.

CAPVT III.

Incommoda abusus Phlebotomiæ.

I. QVi Venæ sectionẽ confidentiùs, atquè audaciùs, crebriorem inierint, ijs non parum caloris, spiritusq́; demit, ac in senectutẽ immaturã, hancq; morbis grauioribus obnoxiam, præcipitat: cuiusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritis, paralysis, tremor, apoplexia: impensiùs enim refrigerato calore natiuo, humidoq; primigenio imminuto, viscera languescunt, siccitas dominatur; quæ tot malorum causa fit, atq; origo. Hoc idem intellige de crebra purgatione.

2. ℭ Hinc reuerendus ille senex Hippocrates dicebat: Pharmacum mundum reddit corpus, & crebro vsu maturam infert senectutem. quasi diceret: Qui frequenter, & nimis vacuantur, mundo quidem corpore degunt, sed citò senescunt.

3. ℭ Et post hunc Galenus in lib: de

Scarificatione ita scriptum reliquit: Scarificatione crurum crebriùs alias etiam vtendum, quòd sæpius per annum venam incidere non expediat: quippe cum sanguine copioso vná vitalis excernitur spiritus. Eo autem copiosiùs absumpto, vniuersa corporis moles refrigeratur: omniaq; naturalia opera deteriùs fiunt.

CAPVT IIII.

Quid Phlebotomia.

1. PHlebotomia est totius corporis a euacuatio à sanguine, Venæ solutione aptè facta: quò humorum symmetrià conuenienter corpus fruatur. Nam vt cacochymiæ pharmacia, ita plethoræ Phlebotomia dicata est. duo maxima remedia.

A phlebotomia auspicanda curatio.

2 ¶ Hæc iunctim nonnunquam locũ, ac vsum habent, vbi noua cacochymia, & plethora premunt. sed tunc à Phlebotomia auspicanda curatio: modò ventriculi, vel venarũ primarũ, vitio malũ obortum non sit. Alioqui enim plenis, ac distentis sanguine venis, pharmaci potestas traijcere se per venas non posset: quare nihil, vel prauè, aget. At de hoc suo loco fusiùs, vbi de præparatione dicemus.

Notæ

Notæ.

1. EVacuatio est eorum, quæ præter naturam in corpore continentur: Continentur autem Spiritus, Humores, Excrementa Quorum primum si quantitate, aut qualitate in vitio est, educitur appositione cucurbitæ, secundum Phlebotomiâ, aut pharmaciâ, aut vtroq; ; tertium solâ pharmaciâ.

2. ¶ Euacuatio duplex: Vniuersalis, quæ communiter ab vniuerso corpore materiam subtrahit: huiusmodi sunt: sudor, seu perspiratio; vomitus; alui subductio; & sanguinis profusio. Particularis autem euacuatio partem duntaxat aliquam excrementorum onere pressam leuat. Quo in genere sunt, cerebri per palatum, aut nares, expurgatio; excreatio, quæ pulmonum, & pectoris vitia extussit; areniularum, aut puris, è renibus emictio; sanguinis ab vtero, aut hæmorrhoidibus profusio: hæc enim podicem, illa vterum inprimis, vtraq; venam cauam, expedit, quando aluus balano, aut clystere, mouetur; & ex quouis locô per cutem eruptio.

3. ¶ Particularis euacuatio duplex: Prima naturalis, quæ è corpore sponte non necessari-

um effundit; aut præter naturam, quæ vtile retinere nequit, aut ſymptomatica, quæ bonos ac malos indiſcriminatim humores prorumpi ſinit. Altera artificioſa, quæ iterum duplex: Legitima, bonorum Medicorum, quæ ſolùm quantitate, aut qualitate peccans educit. Illegitima, huicq; aduerſa, tonſorum, agyrtarum, ac aliorum quorumuis malorum medicorum; quâ innocens humor vi ac violenter extrahitur.

CAPVT V.

Quottuplex Phlebotomia.

Phlebotomia vniuerſalis quid.

1 PHlebotomia duplex eſt a Vniuerſalis; quæ à toto redundantia minuit, tum per ſectionem venarum brachij, tum etiam pedum.

Particularis quid

2. ¶ Particularis; quæ à parte quapiam euacuat, talis eſt hirudo, cucurbita, ſcarificatio, vel ſimul cucurbita cum ſcarificatione, certis partibus applicata.

Phlebotomia vniuerſalis triplex

3. ¶ Vniuerſalis Phlebotomia tripartitur in Reuulſionem, Deriuationem, & in eam vacuationem, quæ vna reuellit, & deriuat.

Nota.

Nota.

VEnæ sectio duplici nomine vniuersalis censetur, & quòd omnes humores, ex quibus sanguis constituitur, & quod ex vniuerso corpore, detrahat: nam cum profluens, liquidusq; sit sanguis, quisquis secto loco vicinior aßistit, primus exilit; deinde, qui illi iunctus, continuatusq; est; deinceps verò totus, non modò è venis, & arterijs, verùmetiam è visceribus, & ex habitu corporis, emanat.

CAPVT VI.

Quæ humorũ vitia vacuet ex venis Phlebotomia.

1. CVm Venæ sectio proprium, accommodatumq; sit remediũ humorum, qui aut in Venis peccant, aut vbertim defluunt ex his; ac illos Phlebotomia vacuet, hos reuellat eadem, iã de vacuatione, mox de reuulsione, dicam.

2 ¶ Plethoræ itaq; ad vasa, Puræ dictæ, primò omniũ propriè, & accõmodatè debetur venæ sectio; hacq; vna, ac sola, tutissimè demitur.

3. ¶ Impura verò, quò longior, minusque affinis Puræ fuerit, eò etiam parciùs, atque restrictiùs, sanguis demendus, id est, solùm eousque, dum plenitudinis pericula vitentur: reliquæ enim impuritati pharmacia conuenientior est.

4. ¶ Exempli gratia: Calida, biliosaque plenitudo, omnium impurarũ tutissimè per venæ sectionẽ tollitur: vt quæ non eã modò minuit, sed refrigerat quoque.

5. ¶ Melancholica parciùs id auxilij genus tolerat: non enim adeò calida est, vt refrigerationem poscat.

6 ¶ Pituitosa certè omnium minimè: cum enim impensè frigida sit, venæ sectionem contemnit, quæ magis cruditatem refrigerans conduplicat, vt vix vnquã concoqui, corrigique possit.

7. ¶ Plethora ad vires, si venæ sectione minuenda venit, tantũ relinquet, quantum natura facilè regat, gubernetquè. At ea quoque victu parciore, aut inedia, vtiliter subtrahitur: cum nullius periculi præsentis metu vrgeat.

8. ¶ Cacochymiã venarũ ad vasa, secta vena minuere tutum est, ac vtile, si copiâ, ac virium, ratio habeatur. De cacochymia verò ad vires valde dubito, num quoque

possit

poſsit abſq; aliqua virium iactura celebrari phlebotomia; quare nec cuiquam auctor eſſe volo ad ineundam.

9. ℭ Omnis cacochymiæ, quæ in venis condita eſt, vicijs vna ſectio venæ expeditè ſuccurrit, iiſq; liberat, ſi illinc, non autem viſcerum vitio, genita eſt; tunc enim præſtantior, & accommodatior eſt purgatio.

10. ℭ Summatim, ac breuiter: Confeſtim ad inciſionem venæ veniendum, vbicunq; muſculi ſolidi, atq; diſtenti, necnon venæ amplæ, atq; turgentes, minantur periculum diſruptionis, vnde partium inflammationes, & hæmorrhagia; aut obſtructionis vniuerſalis, vnde inſiti caloris reſtinctio, ſtrangulatioq; virium alioqui validarum, vnde ardentiſsimæ febres, ac, per conſequens, mors irruit.

11. ¶ Plenitudo ad vaſa tenſione percipitur; plenitudo verò ad vires grauedine ſe prodit.

Plenitudo omnis quomodo cognoſcatur.

Notæ.

1. *PLethora eſt duplex: Ad vaſa, & ea quæ refertur ad vires.*

2. ¶ *Ad vaſa rurſus duplex: Pura, & impura.*

Pura Plethora duplex.

3. ¶ Pura est ea, quæ sic simpliciter, propriè, & absolutè dicitur: cuiusq; duo sunt genera: Vnum, in quo succorum omnium æquabilis est redundantia. Alterum, in quo syncerioris, ac purioris sanguinis præ cæteris summa est vbertas, & affluentia. Vel breuius: cum sanguinis purior pars valde luxuriat.

4. ¶ Impura erit illa, vbi aut bilis, aut pituita, aut melancholia reliquos humores, qui secundùm suam, & naturalem proportionem omnes simul increuerunt, auctiq; sunt, superat: diceturq; Plethora impura biliosa, melancholica, aut pituitosa.

5. ¶ Ad vires illam dicimus esse, in qua tametsi vasa non tument, nec copiá distenduntur, plus tamen vtilis sanguinis, & alimenti, continent, quàm à natura gubernari, regiq; poßit.

6. ¶ Cacochymia Græcis, Latinis viciosus humor, succusue, appellatur.

Cacochymia quid

7. ¶ Cacochymia est, vbi in qualitate, vel quantitate & qualitate simul, peccant humores.

Cacochymia duplex.

8. ¶ Vnde duplex emergit Cacochymia: Illa enim vocatur simpliciter Cacoçhymia, plenitudo ad vires, putredo citra plenitudinem: hæc verò Cacochymia ad vasa.

9. ¶ Vtraq; rursus duûm generum: Vnum mitius, quum vel superflui humores immodicè acu-

cum-

cumulati sunt; vel succi in sanguine, non illâ iustâ, naturaliq; proportione, & concordiâ teneantur.

10. ¶ Altera deterior, cùm vel superuacui humores, vel succi tum primi, tum secundarij, à naturali, & conuenienti sua temperatione in vicium prolapsi sunt; quod aut substantiæ, aut temperiei corruptio quædam est.

Cacochymiæ & Plethoræ loca diuersa.

11 ¶ Plethora omnis potißimum in venis, atq; corporis habitu consedit: Cacochymia vtraq; in totum corpus, habitumq;, dispergi, diffundiq; solet.

12. ¶ Vnde si ea, quæ fit à bile, per vniuersum corpus sparsa fuerit, icterus; quæ ab atra bile, elephantiasis; quæ à pituita, leucophlegmatia, dicetur.

13 ¶ Si autem partis alicuius substantia imbiberit humorem à bile flaua, herpes, & erisypelas; ab atra cancer, vel scirrhus; à pituita œdema; à scirrhoso humore in ventre collecto, ascites; in testiculis hydrocele vocabitur.

Schema humorũ totius corporis.

Vitium humorũ in venis conditorum est, aut

- Plethora; duplex:
  - Ad vasa; duplex:
    - Pura; duũm generũ:
      - Primũ, vbi omnes humores secundũ suam, & naturalẽ proportionẽ aucti sũt, ac increuerũt.
      - Secũdũ, vbi, cæterorũ seruata proportione, sanguis excessum accepit.
    - Impura; cuius 3. differentiæ.
      - Biliosa,
      - Melancholica,
      - Pituitosa,
  - Ad Virtutem.
- Cacochymia; duplex:
  - Ad Vasa, &
  - Ad Virtutẽ.

CAPVT VII.

Reuulsio vt fiat per venæ sectionem.

I. PRorumpentis sanguinis vnicum remedium habemus Reuulsionẽ. Hac quippe nihil celeriùs fluxionis impetus cohibere potest; cui, vti polliciti sumus, hoc

dicari

dicari caput libuit, sequens Deriuationi.

2. ¶ Est autē Reuulsio, quâ sanguinē, in aliquod membrū illapsurum, ac procubiturum, tantùm reuellit, id est, trahit in contrarium

Reuulsio quid.

3. ¶ Cæterum non quæuis indiscriminatim hîc contraria accipere debes; quare neq; Mathematica; Sunt autem hæc, quæ vnius eiusdem rectæ lineæ extrema tenent, ad quæ qui fiunt motus, contrarij nominantur. Non etiam illa, quæ licet nomine sint contraria, (qualia: Ante, ponè; Ad dextrā, ad sinistram; Sursum, deorsum; Intrò, foras) in humorum tamen reuulsione nullo modo, nisi & in fibrarum recto cursu collocentur; Sed intellige contraria verè medica, quæ in eiusdem venæ recto processu, per quem humorum cursus est, quàm longissimè distant: Cum enim rectarum fibrarum ope fiat, vt apertâ venâ, primùm pars vulneri propinqua euacuetur, hæc dein è remotioribus sanguinem eliciat, profectò plus illius, & expeditiùs ab ijs partibus, in quas fibræ diriguntur, quam à cæteris, eripiet.

Mathematicis cōtraria quæ dicantur.

Contraria duntaxat nomine quæ.

Contraria medica quæ.

4 ¶ Exemplo hæc, quæ dixi, clariora euadent. Pleuritidi dextræ nequaquā contrarium est latus sinistrum: inflammato verò

Pleuritidi dextræ cuare sinistrum

tò

Latus nō sit contrarium.

rò cruri dextro contrarium est sinistrū: his enim communis, & directa venarum societas, per quam sinistrum crus incisum trahit è dextro: at è dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum concedit. ideò huius secta vena dextram pleuritidem non tollit; sed noxium humorem, vel inflāmata parte relinquit, vel puro sanguini permiscet, vel sinistram pleuritidem inuehit.

5. ¶ Proinde, quum omne eò spectet consilium, vt à loco inflammatione obsesso plus sanguinis, ac celeriùs, quàm à reliquis partibus, eliciatur, vena, quę fit in directo situ particulæ laborantis, præcidetur. Ita enim & Hippocratē summū virū imitabimur: qui in pleuritide interiorem brachij venam aperire iubet, ab eo latere, quod dolore sit affectum: & naturā cum ratione sequemur; ex proximioribus enim, & cōmunibus affectæ parti venis vacuatio facillima, optimaq; fit: quippe per illam ipsam venam à laborante particula humor perniciosus nō modò promptissimè, sed etiam celerrimè, & potentissimè trahitur, vacuaturq;.

6. ¶ Ad reuulsionis quoq; vsum illa spectant, & conducunt: Vena ampla copiosè, vicina valide, atq; celeriter trahit. Vnde talis emergit regula:

7. ¶ Si magna inflammatio fuerit, vena ampla finitimo loco aperienda: vt plus, celeriùs, ac potentiùs à parte laborante vacuet: sin verò affectus mitior fuerit, angusta, eaq; distantiore loco, vena eligenda: vt minus, tardiùs, & ignauiùs vacuet. Eiusmodi enim reuulsio, præterquam quòd fluxionem sistit, ab affecta quoq; parte priùs putrem & contaminatum sanguinem, quàm ex reliquo corpore benignum, atq; syncerum, extrahit. Neq; tum metus sit vllus nouæ fluxionis proritandæ, cùm enim pars laborans magis, quàm reliquæ, vacuata fuerit, si vsq; ad penuriam exinanita sit, vix iterum alia fluxione tentabitur: distãtes enim indigẽtia auidæ, proprium sanguinem elabi non permittent: nec etiam pars affecta (nisi calor, aut dolor restet vehemens) ab illis quicquã eripiet: cùm sit imbecilla, nec multi indiga alimenti.

Regula in omni reuulsione tenenda.

CAPVT VIII.

Deriuatio quomodo in Phlebotomia fiat.

I. DEriuatio est, iam illapsi humoris, tractus in vicinum latus, dicta: quia sanguinẽ

Deriuatio quid.

ſanguinem è parte laborante in vicinum locum deriuat.

Quando vtendum Deriuatione.

2. ¶ Vſus eius tunc, quando humorem, qui affectam partem iam obſedit, ac occupauit, in latus, & loca vicina, medico extrahere conſilium eſt.

3. ¶ Fit inciſa ea vena, quæ in laborantẽ partem inſerta eſt.

4. ¶ Quare cum ea vena aperitur ſcalpello, pars multitudine defeſſa illac onus ſuum deponit, atq; abijcit.

Quo tempore deriuandum.

5. ¶ Porrò commodiſsimè Deriuatio celebratur, cum reuulſione præmiſſa, fluxionis impetus, & ardor, iam reſedit; neq; denuò nouæ, & inopinatæ, ſuſpicio eſt; ſimulq; humor adhuc liquidus eſt in parte, è qua remeare potis eſt.

Nõ ſuccedente deriuatione quid faciendum.

6. ¶ Quod ſi coniectura eſt adeò parti infarctũ eſſe, vt omnifluendi, remeandiq; habilitate ſit priuatus (accidit enim hoc diuturnis, ac inueteratis inflammationibus, in quibus ſcirrhoſæ quædam reliquiæ cohærent) ommiſſa deriuatione, fomentis, emplaſtriſq; mollientibus, ac digerentibus, tentanda.

7. ¶ Quibus adhuc ſi humor diſsolui, ac diſsipari, nequit, neq; locus eſt celebris, neq; dolor vehemens vrget, pars affecta ſecabitur

cabitur, diduceturq́; præcipuè verò, si humor pernicie, atq́; contagio vicina polluat, ac conspurcet.

8. ℂ Id quanquam Deriuatio propriè, ac verè dici nequeat, in eius tamen locum, quasi vicaria, succedit. Hactenus generatim de Phlebotomia Vniuersali a Vacuante, reuellente, & deriuante: accingor enumerandis affectibus singulis, quibus illa debeat accomodari.

Notæ.

1. *CVm sanguinem mittimus, vel solùm quærimus absolutam eius diminutionem; vel solùm ad reuellendum id facimus; vel solùm ad deriuandum; vel ad hæc omnia; vel tantùm ad simplicem euacuationem. Vnde quintuplicē sanguinis mißionem, atq; vacuationem inuenio.*

2. ℂ *Prima dicta absolutè & simpliciter mißio sanguinis; secunda reuulsio; tertia deriuatio; quarta cōposita quasi medicatio nuncupata: quia vno ictu euacuamus, reuellimus, ac deriuamus; quinta simplex vacuatio; quā vtimur, quando vsq; adeò fluxio infarcta est parti laboranti, vt omni fluendi, remeandiq; habilitate sit orbata. Simplex commodißimè appellatur, quòd tantùm vacuet, citra id quòd diminuat maßam sanguinis totius*

Sanguinis missio quintuplex.

Simplex vacuatio quid.

corporis, aut reuellat, aut deriuet, aut aliquod horum faciat.

3. ¶ *Differt hæc simplex vacuatio, ab illa absolutè dicta diminutione sanguinis. Primò: quia illa sanguinem liberum, ac omni fluendi facultate præditum ex omnibus in omnes partes ducere potest: hæc infarctum duntaxat, & impactum loco extrahit. Secundò: quia illa scalpello, hæc cucurbitularum ope, completur.*

Quinque regulæ in Phlebotomia obseruandæ.

4. ¶ *Hinc quinq; emergunt regulæ, in omni Phlebotomia, nisi errare velimus, semper maximoperè obseruandæ; quarum Prima: Cum solùm quærimus absolutam sanguinis diminutionem, vt in Plethora omni, semper eligenda est brachij dextri vena interna, iecoraria dicta.*

Prima.

Secunda

5. ¶ *Secunda: Cum solùm reuellere intendimus, vt in sedandis sanguinis fluxibus, tunc à distantißima parte, & paulatim, euacuamus.*

Tertia.

6. ¶ *Tertia: Cum deriuare duntaxat sanguinem, seu humorem, qui laborantem partem iam obsedit, volumus, in latus, & vicina loca, eum trahemus, ibiq; euacuabimus.*

Quarta

7. ¶ *Quarta: Cum verò simul & euacuare, & reuellere, & deriuare intendimus, venā eligemus, quæ non multùm à parte distet: Vt dum in pleuritide eiusdem lateris vena secatur in brachio, vno illa ictu euacuamus, reuellimus, ac deriuamus.*

Quinta

8. ¶ *Quinta: Cum autem fluxionem vsq; adeò*

infar-

infarctam parti laboranti, vt omni fluendi, remeandiq; habilitate sit orbata, vacuare consilium est, ex ipsa tantùm affecta parte, idq; maximè cucurbitulis, id fiet: quia neq; ad contraria, neq; ad proxima trahere potest.

CAPVT IX.

Singulorum morborũ, quibus vel præsentibus, vel futuris, secta vena succurrit, enumeratio.

1. MOrbi cutis, capitis, & capillorum: Alopecia, maculæ, vitiligines, id est, albæ maculæ, pustulæ, euchymoma, dydroa, psydracia, epynictides, morbilli, variolæ, phyma, achor, fauus.

Morbi cutis capitis, & capillorum.

2. ℂ Morbi cerebri: Cephalalgia sanguinea, Cephalalgia biliosa, Cephalalgia pituitosa, seu frigida, Cephalalgia melancholica, paralysis, melancholia, melancholia hypochondriaca, vertigo, epilepsia, spasmus, apoplexia, lethargia, carus, catalepsis, seu congelatio, phrenesis, catarrhus, cataphora, seu coma vigil, & non somnolẽtum, mania, seu furor.

3.

Oculorum. 3. ℭ Morbi oculorum: Catarracta, seu suffusio, ophtalmia, vlcera oculorum, gutta serena, oculus caprinus.

Aurium. 4. ℭ Morbi aurium: Grauitas auditus, surditas recens, tinnitus aurium, parotides, dolor aurium.

Narium. 5. ℭ Morbi narium: Polypus, læsio odoratus, hæmorrhagia narium.

Oris. 6. ℭ Morbi oris: Sputatio sanguinis, cõuulsio canina, seu, tortura oris.

Dentium 7 ℭ Morbus dentium: Dolor dentium.

Vocis. 8 ℭ Morbi partium voci inseruientiũ: Angina, seu squinantia, loquella impedita, aphtæ.

Thoracis 9. ℭ Morbi thoracis: incubus, pleuritis.

Pulmonis. 10. ℭ Morbi pulmonis: Tussis, asthma.

Cordis. 11. ℭ Morbi cordis: Palpitatio, seu tremor cordis, syncope, pestis.

Stomachi. 12. ℭ Morbi stomachi: Cardialgia, seu dolor stomachi, imbecillitas ventriculi, inappetentia, seu cibi fastidium, ventriculi inflammatio.

Hepatis. 13. ℭ Morbi hepatis: Obstructio hepatis, icteritia, hydrops, lues venerea, inflammatio iecoris, vomitus sanguinis, scirrhus hepatis.

Splenis. 14. ℭ Morbi splenis: Tumor splenis, inflammatio lienis.

15. Morbi

15. ¶ Morbi ventris, & inteſtinorum: Dyſenteria, colica, & iliaca paſsio. *Ventris & inteſtinorum*

16. ¶ Morbi renum: Calculus, diabetes, inflammatio renum, hæmorrhagia renum. *Renum.*

17. ¶ Morbi veſicæ: Calculus, dyſuria, ardor vrinæ, mictus ſanguinis, inflammatio veſicæ, ſtranguria, id eſt, vrinæ difficultas. *Veſicæ.*

18. ¶ Morbi pudendi: Gonorrhęa contagioſa, gangræna pudendorum, furunculus vrethræ, carbunculus vrethræ, intemperies teſtium calida, mollicies penis, magnitudo penis, priapiſmus, inflammatio præputij, glandiſq́; vlcera penis, obſtructio vrethræ, cãcer pubis, inguinis, & pudendi. *Pudendi.*

19. ¶ Morbi ani: Procidentia ani, hęmorrhoides nimiùm fluentes, rhagades, tumor cæcarum hęmorrhoidum. *Ani.*

20. ¶ Morbus articulorum: Arthritis. *Articulorum.*

21. ¶ Morbi muliebres: Menſes nimiũ fluentes, menſes nimiùm ſuppreſsi, præfocatio vteri, deſcenſus matricis, mola, profluuium muliebre, ſterilitas à calida intemperie, periculum abortus, inflammatio vteri, cancer vteri, ſcirrhus vteri, œdema vteri, eryſipellas vteri, furor vteri, lubricitas ceruicis pudendi muliebris, condylomata pudẽdi muliebris, pruritus pudendi muliebris, *Muliebres*

dolor

dolor vteri, rigor, horror, & frigus grauidarũ, palpitatio cordis prægnantiũ, febris intermittens grauidarum, febris acuta grauidarum, dolor dentium grauidarum, redundantia vacuationis excrementorum grauidarum, redundantia lactis grauidarũ, mãmarum phlegmone muliebrium.

Venarum, & febres.

22. ℭ Morbi venarum, & febres: Plethora, cacochymia quædam; febris ardens, spuria ardens febris, tertiana continua, tertiana intermittens spuria, quotidiana cõtinua, quotidiana intermittens, febris epiala, diurna, & nocturna febris, quartana continua, quartana intermittens, hæmitritæus, seu semitertiana, & febris ex cruditate secundum Hollerium.

Notæ.

Nota, me hic non tantùm ea mala, quibus remedium proprium, & accommodatũ est venæ sectio, recensuisse, verùm etiam illa, quibus licet ex natura sua non conueniat, conuenit tamen alterius occasione.

Morbi quibus ex natura sua cõuenit Phlebot:

2. ℭ *Hoc exemplo docetur: Morborum, qui ortus sui primodia à sanguine acceperunt, propria & accommodata est venæ sectio; quales maximè sunt: synochus febris, tum ea quæ citra putredinem ex sanguine efferuescente, tum quæ ex pu-*

tredine

tredine eò accenditur, omnisq; continua: quia earum putredo in vasis maioribus condita est. Dico: in vasis maioribus: nam & interdum circa vētriculum, maximè os ipsius, & hepatis partes simas coaceruatus humor exardescens, febrē parit continuam, quam, vt & eius causam, non poßis Phlebotomiâ tollere.

3. ¶ Ex eodem genere sunt & partium affectus: phrenitis, ophtalmia, parotis, angina, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, splenitis, nephritis, vteri, pudendorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum, articulorum, ac omnium tum interiorum, tum externarum partium inflammationes.

4. ¶ His proximè accedunt: sputum sanguinis, incipiens tabes, vomitio sanguinis; è naribus, vtero, hæmorrhoide nimius fluxus sanguinis.

5 ¶ Additur carbunculus, furunculus, scabies humidior, omnisq; rubor per summa corporis efflorescens.

6 ¶ His appono morbos partium, quales: capitis, & aurium pulsans dolor, lethargus, vertigo, apoplexia, epilepsia, acris, mordaxq; fluxio, cordis palpitatio, & si qui ad istorum naturam, & conditionem proximè accedunt: his enim omnibus, nisi quid aliud prohibeat, legitimum, ac proprium remedium est venæ sectio.

7. ¶ In reliquis affectibus, quos hîc iterum non enumero, sed tu proximè superiori capite vi- Quibusdam

orbis per accidens cōuenit venæ sectio. *dere potes, sanguis quoq; conuenienter mittitur at longè disparirationc, dispariq; respectu.*

8 ℭ *Hoc etiam exemplo clarius euadet. Intermittens febris; quæ purasit, siue tertiana, siue quartana, aut quotidiana, cum eius materia proxima non in vasis contineatur maioribus., neq; ex his prorumpat, venæ sectione perperam curatur: At nihilominus in hac, & cæteris similibus, interdum sanguis conuenienter mittitur; quum aut venæ immoderata copia turgescunt, plethoræq; pericula impendent; aut incalescentis sanguinis symptoma quoddam acrius vrget: vt, pulsans capitis dolor, corporis iactatio, æstus ferè suffocans: licèt & hæc sæpenumero obrepant ex bile circũ præcordia efferuescente. At ne sic quidem venæ sectio aut febrem, aut causam eius, delet, sed duntaxat symptomatum, tum præsentium, tum impendentium, sæuitiam compescit.*

9. ℭ *Febres retuli ad morbos venarum: quia etiam febres sunt morbi venarum; quamuis non omnes. Quæ autem excipiantur, iam dixi modò proximè superiori numero, 8 nempe.*

Quævena in quouis affectu sit secanda.

CAPVT X.

CAPVT X.

Morbi cutis, capitis, & capillorum.

1. IN Alopecia, & Ophiasi, vacuatio vniuersalis constet primò quidē Phlebotomiâ, dein purgatione cacochymiæ; idq; per pilulas potiùs, ob capitis distantiā. — *Alopecia & Ophiasis.*

2. ¶ Pustularum, & macularum cutis materiam euacuat Phlebotomia in adultioribus tantùm; purgatio verò in omni ferè infantiæ, & pueritiæ parte. — *Pustulæ. Maculæ.*

3. ¶ In vitiliginibus, id est, maculis albis, vacuatio aliàs sola purgatione constat, aliàs phlebotomia; etiamsi sanguini pituita mixta sit, ætasq; huius remedii non impotens. — *Vitiligines.*

4. ¶ Euchymoma, si oritur ab internis caussis, præseruatione eget per phlebotomiam, & purgationem. — *Euchymoma.*

5. ¶ Hydroa ne crescant, aut multiplicētur, opus est vacuatione per purgationem, & per phlebotomiam; si adsit multitudo sanguinis cacochymi; ætasq; & vires consentiant. — *Hydroa.*

6. ¶ Psydracia post præseruationem per purgationem phlegmagogam, aut phlebotomiam; curantur solis digerentibus, attenuanti- — *Psydracia.*

nuantibuſq;, & detergentibus validioribus.

Epinyctides. 7 ℭ Epinyctides, poſt purgationem vitioſorum humorũ,& phlebotomiam; curantur partim refrigerantibus, ob ardorem leniendum; partim digerentibus mixtis.

Morbilli. variolæ. 8. ℭ Morbilli, & variolæ imminentes, & iam ſuſpectæ, prçaueri poſſunt reſtincto ſanguinis feruore; idque ſi ab internis cauſis, per phlebotomiam; niſi eius puſilla ætas ſit impotentior; & purgationem.

Phyma. 9. ℭ In Phymate (non critico, ſed ab externa excitato cauſa, dolorem extremis partibus, vt capiti, brachiis, & cruribus inferente) phlebotomia in grandiori ætate, plethoræ; aut ſi hæc abſit, doloris modo, reſpõdeat. In puerili phlebotomiæ ommittendæ vicem multa, duraque frictio, & arcta deligatio partium aduerſarum: Cucurbitulæ quoq; ſuppleant cũ ſcarificatione, ſi fluxionis impetus, & tumoris moles metuatur.

Achor, Fauus. 10. ℭ In Achoribus, & Fauis, phlebotomia omnis ante ſeptennium in pueris interdicitur, àquo finito, in pulpis aurium, vel ponè aures, nullo ſterilitatis metu, tẽtari poteſt, niſi cucurbitulæ cum ſcarificatione ceruicis, & ſcapularum, eius vicem ſuppleant.

CAPVT XI.

Morbi cerebri.

1. IN Cephalalgia ſanguinea, id eſt, dolore capitis à ſanguine oborto, aperienda eſt dextri brachij (ni latus ſiniſtrum grauiùs dolet) Humeraria, ſeu Cephalica appellata: huic, ſi plethora totius corporis ſimul adeſt, prætundunt non nulli venam, ſiue Communem, ſiue Baſilicam. Non deſunt viri celebres, qui eam, quæ pollicem, & indicem interiacet, venā, vulgò Cephalicam dictam, manè aperiunt; ſed veſpere alteram in cubito propriè Cephalicam vocatam. Quòd ſi cōſueta ſanguinis eruptio ſubſtiterit; vt, menſium, hæmorrhoidum, ante ſectionem Humerariæ, venas crurum, vel pedum pleriq; vulnerant. Satiùs tamen videtur, reſpectu doloris vrgentis, tū quoq; ex brachio ſanguinem educere; & poſtea cum vacat, mitigato iam dolore, prædictas venas aperire. Manifeſtum autem eſt, quod ad quantitatem detrahendi ſanguinis attinet, in corpore plethorico eum liberaliùs exhauriendum eſſe. Vbi autem iſtud ſemel, vnaq; vice, aſſequi non datur ob virium imbecillitatem, tum ſanguinis miſſionē par-

Cephalalgía ſāguinea.

tiri oportet: vt, cùm manè, verbi gratia, cæsa est vena, eadem vesperi, itemq; postri- die denuo reseretur, semper parum aliquid emittendo, dum sufficienter copiam subtra- xisse censebimus. Quòd si parum inde san- guinis prodeat, nihil prohibet, defectum, apertâ Humerariâ, supplere. In ijs, qui vel ætatis, vel virium nomine ab hoc præsidio arcentur, Phlebotomiæ vicariam operam præstant cucurbitulæ scarificatæ, lumbis, vbi occiput, aut scapulis, cū sinciput affli- gitur, affixis.

Cephalalgia biliosa.

2. ℭ In Cephalalgia biliosa, saltem pro re- uulsione, phlebotomia ab initio oppositi lateris conuenit; parciùs tamen in corpore præsertim pauci sanguinis. Quibus autem venæ sectio non conuenit, ob causas cer- tas, his scarificationem, & cucurbitulas dor- so adhibebimus.

Cephalalgia pituitosa.

3. ℭ In Caphalalgia à pituita progenita Phlebotomia omittur; nisi vel corpus san- guine scateat, venæq; turgeant, vel dolor fuerit acerrimus: tum enim Media, vel Humeraria cęditur; alioquin hîc inchoat curatio à clystere, vel purgante medica- mento, vel vtroq;.

Cephalalgia

4. ℭ In Cephalalgia melancholica (quæ rarior esse cernitur) nihil de Phlebotomia

cogita-

cogitamus, sed magnā in hoc casu opē præstat hæmorrhoidum, & menstruorū fluxus; quibus proin ciendis statim incumbemus.

Melancholica.

5. ℭ In Paralysi venæ sectio fiet Cephalicæ inlatere suo, si à sanguine Paralysis fiat, corpusq; sit plethoricum. Educetur autem mediocris quantitas; ne calor natiuus in frigido corpore, frigidoq; morbo, extinguatur. Si autem Paralysis fiat à mala complexione frigida sinè materia, venæ sectione nequaquam vtemur; sed solùmmodò medicamentis alterantibus calidis.

Paralisis.

6. ℭ In Melancholia venæ Medianæ sectio fiat ab initio, si vniuersū corpus sanguine abundet melancholico, secundùm virium tolerantiam. Si Media non appareat, commodè Malleoli, Talive, secabimus venam; potissimùm in mulieribus, in quibus menstrua suppressa sunt; aut viris, qui hæmorrhoidibus expurgari solebant. Si verò cerebri vitio fiat, non tam necessaria erit venæ sectio, nisi fortasse alijs non curetur; tunc enim Cephalica incidetur; quo facto, si adhuc persistat malum, etiam vena frontis aperietur.

Melancholia.

7. ℭ In Melancholia hypochondriaca venæ sectio fiat iecorariæ sinistri brachij, si plenitudo magna fuerit; aut Saluatellæ, si

Melancholia Hypochondriaca.

menses

menses, hæmorrhoidesuè subsistant. Et si pertinax morbus fuerit, secabitur quoq; vena frontis.

Vertigo.

8. ℭ In vertigine vena Cephalica, reuellendi gratia, secetur, idq; repetitis vicibus, modo à sanguine, vel á calidis humoribus, malum fiat.

Epilepsia

9. ℭ In Epilepsia, si plethoricum sit corpus, venæ Malleoli sectio fiet; hinc Cephalicæ in principio veris, si inueteratum sit malum, & si per consensum fiat.

Spasmus

10. ℭ In Spasmo venæ sectio ipsius Medianæ præscribatur, si à sanguine conuulsio fiat, satisq; tunc liberè educatur; partitis tamen id fiat vicibus, eò quòd vires ratione morbi, hic admodum resoluantur; fæces alui tamen ante enemate leui emolliantur.

Apoplexia.

11. ℭ In Apoplexia debili (nam fortis incurabilis) venæ sectio fiat in corpore plethorico, cùm meliùs non nihil spirabit, & postquam clysteri aluus soluta fuerit, ipsius Cephalicæ in vtroq; brachio: non vnica autem vice, sed sensim educatur sanguis; repetendo venæ sectionem, si prima vice non satis euacuaueris. In eadem Apoplexia debili humores à capite auertemus secta vena iugulari. Sed hæc vena iugularis si aperiatur, emplastrum fiat è bolo Armena,

aloe, pilis leporinis, albumine ouj; superponaturque foramini, ne sanguis immodicè profundatur.

12. ¶ In lethargia, seu veterno, venæ sectio fiat ipsius Cephalicæ statim ab initio, eò quòd magna ex parte concurrat repletio corporis. Deinde frontis quoque vena secabitur; fæces tamen priùs clysteri leni educentur.

Lethargia, seu veterno.

13 ¶ In Caro sanguinis missio conueniet, si plethora videatur, vel si aliqua sanguinis portio sit cum pituita permista. Secari ergo potest, viribus existentibus validis, & ætate consentiente, Communis primò dextri cubiti, deinde Cephalica. At si mulier fuerit, quæ ob mensium retentionem Caro laboret, secetur ei primò Saphena, deinde Cephalica. Quòd si vtero gerat, sitque trimestris, vel quadrimestris, plethora apparente, vel sanguinis permistione, ac viribus permittentibus, tutò sanguinem mittemus, incisâ primò Basilicâ, vel communi dextri cubiti, deinde Cephalica. Sanguinis quantitas, qualibet vice extrahenda, vncias duas non superet. Nec quidem timendum est de fœtu: cùm enim paruus hic sit in tertio, & in quarto mense, pauco sanguine indiget pro sui alimento, teste Gal. 1. de sympt. cau.

Carus.

c 7. Antequam verò vtero gerentibus san guis extrahatur, corroborandi sunt ea, u renes vnguento Comitissæ cum vnguento ros. permisto. Fœtus etiam quodammodo nutriendus, & corroborandus, frustulo carnis assatæ, matris vmbilico superimpositæ, ac cinamomi minimo, vel pane calido, & cinnamomo. Quòd si nulla videatur plethora, à sanguinis missione abstinendum, tum in vtero gerentibus, tum in cæteris omnibus, qui Caro corripiuntur.

Catalepsis. 14. ¶ In Catalepsi, seu Congelatione, quando consilium est auertere materiam à cerebro, venæ sectio fiet Cephalicæ, dum à magna fit copia sanguinis, & vires constant; educemusq; sanguinem liberaliter.

Phrenitis 15. ¶ In Phrenitide venæ sectio fiat protinus ab initio, modò vires constent, in mora enim periculum est; vix enim aliud salubrius, atq; magis præsens remediũ est huic malo destinatum; in mitioribus autem morbis priùs aluus eluenda arte est; Secabimus autem venam primò Humerariam, hinc Cephalicam, aut Mediam, si prior non appareat. tandem vbi materia iam fluxa est, etiam in fronte venam incidemus; idq; vt rectè fiat, constringemus collum artificiose aliquâ fasciâ, vt vena attollatur.

16 ¶ In

16. ℭ In Catarrho venæ sectio fiet Humerariæ, aut Medianæ, si anginæ, aut pleuritidis, febrisue, aut suffocationis periculū impendeat, si vires permiserint, sanguineq; abundauerit æger. — *Catarrhus.*

17. ℭ In Cataphora, Comate vigili, non somnolento, prædomināte bile, ac in abdomine existente pituitæ, sanguinis missio si facienda est, ob apparentem plethoram, vel sanguinis permissionem, longè parcior moliēnda, quā veræ phrenitidi conuenit. Nam si nimis refrigeraretur corpus, affectio quidem in lethargum degeneraret. Præsens enim morb9 mediam inter phrenitidē & lethargiam naturam habet. — *Cataphora. Cataphora quid.*

CAPVT XII.

Morbi oculorum.

Oculorū morbi.

1. IN Catarracta, seu suffusione, venæ sectio in fronte, missioq; sanguinis è naribus, materiam ab oculo auertit.

2. ℭ In Ophtalmia venæ sectio fiat omnium primò ipsius Cephalicæ eiusdem lateris, si magna plenitudo adsit, magnusq; sit affectus; sanguinisq; satis magna educatur quantitas: nam venæ sectio magna ex parte malum ipsum eradicabit. Si bilis ta- — *Ophtalmia.*

men alijs humoribꝰ plus abundet, non tantum sanguinis detrahemus, atq; si à dominio sanguinis fiat; sed alterantibus, vacuantibusq; medicamentis, compensabimus. In eodem affectu venæ frontis sectione materiam ad oculum ruentem auertimus.

Vlcera oculorum

3. ℂ In vlceribus oculorū præmissa purgatione tum vniuersi corporis, tum capitis, existente plethora, à sanguinis missione incipiendum: ac toties secare venam oportet, quoties visum fuerit opus. At si nulla plethora, sed cacochymia potiùs apparuerit, vti purgatione conuenit, ac sanguinis missionem derelinquere.

Gutta serena.

4. ℂ In obscuritate visus, seu oculorum offuscatione, seu gutta serena (est morbus cùm visus ipse deperditur, nullo in oculo apparente nocumento) plenitudine apparente, venam incidere conueniet Communem scilicet primò, deinde Cephalicam; ac tandem cucurbitas in occipitio cum scarificatione apponere, ex Aëtij præcepto, nō grauabimur.

Aegilops.

5. ℂ In Aegilope, seu oculo caprino, seu fistula lachrymali (est autē tumens abscessus, inter maiorem hirquum & nares, medius) pro diuersione, ac reuulsione, sanguinis missio facienda primò ex Communi, vel Ba-

vel Basilica, oppositi lateris; secundò ex Cephalica eiusdem partis affectæ.

CAPVT XIII.

Morbi aurium.

Aurium morbi.

1. IN grauitate auditus venæ Humerariæ incisio fiat eiusdem lateris Materiam enim auribus impactam hic venæ sectio facta euocat

Grauitas auditus.

2. ℂ In recenti surditate, si cum calida intemperie materia associabitur, fueritq; biliosorum succorum copia in corpore redundans, post alui lenitionē, stante multitudine, secanda est Communis, vel Basilica, cubiti affectæ auri oppositi, secundo Cephalica eiusdem affectæ auris. Non existente autem multitudine, minimè vena secanda; sed quamprimùm præparandi sunt humores, ac postea educendi Quòd si fuerit intemperies materialis frigida, apparente plethora (Pauli auctoritate) venam secare possumus ex locis, vt supra. At si nulla visa fuerit plethora, à venæ sectione abstinendum, ac statim præparati humores educendi.

Surditas recens.

3. ℂ In sonitu, ac tinnitu aurium, si per consensum ab vtero fuerit, stante multitudine,

Tinnitus aurium.

dine, Basilicam primò dextri cubiti secabimus, deinde Saphenam affectæ auris, rectitudine seruata; Nulla autem apparẽte multitudine, à principio Saphena est secanda, potissimùm, si per tres, vel quatuor dies institerint menses. Orto tandem affectu ex sanguinis suppreſsione per venas sedis, stante multitudine, venam Malleoli primò secare conuenit, mox hirudines in ipsis venis sedis apponere.

Parotides.

4. ℂ In Parotidibus (cum partes circa aures inflammatione tentantur, ac inde in tumorem eleuantur) existentibus symptomaticis ex multa materia in principio ortis, celebrato enemate, si sanguis plus æquo craſsius visus fuerit, statim secare oportet Communem, vel Basilicam, oppositæ partis, mox Cephalicam, eiusdem affecti lateris. At si causa fuerit biliosus sanguis, sanguis in minori quantitate extrahendus. In Parotidibus pituitosis, vel adest plethora, siue materiæ multitudo, vel non adest. Si adest, & natura suppurare tentat, tutò & venam secare poſsumus, & purgare. At si multitudo non fuerit, tunc quidem neq; venam reserare, neq; purgans medicamentum exhibere conuenit.

Dolor aurium.

5. ¶ In dolore aurium, à calidis, acribusq;

humo.

humoribus genito, quantò vehementior fuerit dolor, tantò copia sanguinis maior, vt Galen praecipit, est exhaurienda Quare secanda primò (praesertim si cum dolore visa fuerit aliqua coniunctá plethora) Basilica, vel Communis brachij, affectae auri oppositi, secundò Cephalica eiusdem affectae partis: ac tertiò cucurbitulae in spatulis cum scarificatione apponendae.

CAPVT XIIII.

Morbi narium.

Narium morbi.

I. IN Polypo diuersio perficietur venae sectione; facienda, si nihil prohibeat, ex Communi, vel Basilica, primò dextri cubiti, deinde ex Cephalica.

Polypus.

2. ¶ In laesionae odoratus, seu olfactus, accidentali, vel eius, quae iuuenili aetati, vel consistenti, vel primae senectuti, euenit, si visa fuerit cum intemperie aliqua annexa multitudo, post alui lenitionem; sanguis mitti debet, primò ex Communi, vel Basilica, secundò ex Cephalica. Sanguinis autem quantitas, qualibet vice exhaurienda, trium vnciarum mensuram non transcendat. Quòd si nulla appareat plethora, postposita venae sectione veniendum ad pharmaciam;

Laesio odoratus.

maciam.

Hæmorrhagia narium.

3. ¶ In hęmorrhagia narium, id est, profluuio sanguinis è naribus, venæ apertio fiat Cephalicæ, aut Basilicæ, eiusdem lateris, si æger adhuc non sit resolutus, & per interualla repetatur, ter vel quater, scilicet, in die; & potissimùm vbi copia sanguinis, aut eiusdem acrimonia, huius mali causa est; tunc enim nullum aliud remedium huic quasi par reperitur: efficacissimè enim in contrarium reuocat sanguinem; Neq; antea instituetur, quàm moderata sanguinis quantitas effluxerit. Nota ad hęmorrhagiam narium. Si plus sanguinis per nares effluxerit, quàm vt vena cubiti secari possit, eius loco cucurbitulas magnas hypochondrijs affigemus, nec non scapulis atq; ceruici; ligaturæq; instituentur; nec non frictiones artuum; lotionibus quoq; pedum cum aqua calente sanguinem fluentem ad alias corporis partes auertemus.

Notandum.

CAPVT XV.

Morbi oris.

Oris morbi

Sputatio sãguinis.

1. IN Sputatione sanguinis, causâ auersionis, venæ sectio fiet internæ, aut Mediæ; bis aut ter autē instituetur in die;

parumq;

parumq; euacuabitur, si iam bona sanguinis quantitas sit excreta: contra verò, si recens malum sit, & vasorum adsit plenitudo, parumq; sanguinis excreuerit, & ab vlcere sit immunis, liberiùs euacuabitur. Secabitur autē vena in eodem latere, in quo occasionem mali esse verisimile est, siue ob aperturam, aut rupturam, sanguinis effusio fiat. Malleoli verò vena aperietur, si à mēsium suppressione ortum habeat.

Conuulsio canina.

2. ¶ In conuulsione canina, id est, tortura oris, sanguinē mittem9, si à plethora aliqua, vel à permistione aliqua sanguinis fuerit hæc indicata.

CAPVT XVI.

Morbi dentium, & gingiuarum.

Dētium dolor.

1. IN dolore dentium, si cum calida intemperie aliqua materia fuerit, vt sanguis; vel cum sanguine bilis mista; sanguis mittendus est ex Communi dextri cubiti primò, deinde ex Cephalica. At si dentes, vel ipsæ gingiuæ inflammatione conceptæ, dolorem excitent, & nihil prohibeat, eodem ordine, ex ijsdem similiter venis, mittetur.

Gingiuarum inflammatio.

CAPVT XVII.

Morbi partium voci inseruientium.

Angina, seu squinantia.

1. IN Angina, seu squinantia venæ sectio fiet eiusdem lateris statim ab initio mali in omni angina, cum difficultatem aliquam percipiet in respiratione, & deglutitione, etiam vsq; ad syncopen, si modò magna fuerit plenitudo, viresq; sint validæ; aliàs partitis id fiet vicibus. Id etiam fiet in muliere vterum gerente, modò vires non sint debiles. Primò autem Cephalica aperietur; hinc quæ sub lingua est, vbi humor non ampliùs fluit, secabitur; in principio autem si incidatur, inflammatio augebitur, eò quòd ad partem affectam materia trahatur. In magna plethora Saphena omnium primò secabitur; dum autem ea, quæ sub lingua est vena secatur, lingua ad palatũ inclinabitur. Sic venæ sectæ motum quoq; humorum à gutture, & faucibus, auertunt.

Balbuties.

2. ¶ In loquella impedita (ex imodica, ac superflua humiditate genita, tum in ipso cerebro vitio suæ intemperiej, vbi per cõsensum cerebri affectio contingit, tum in i-

psis

pſis linguam mouentib9 muſculis, vbi per eſſentiam affectus oritur) ſi vi a fuerit aliqua plethora coniuncta, mittatur ſanguis ex Cōmuni priùs, poſt ea, ſi opus fuerit, ex Cephalica; in vtraq; tamen via in pauca quantitate. Nulla autē exiſtente plethora, ad humorum præparationem, ab hac ad eorum eductionem ſtatim deueniendum.

3. ¶ Aphtæ, quæ adultis ex ſanguine fiunt, curantur, poſt alui lenitionem, ſecta vena Cōmuni priùs, vel Baſilica, quæ magis apparuerit, & deinde Cephalica. *Aphtæ.*

CAPVT XVIIII.

Morbi thoracis. *Thoracis morbi.*

1. IN Incubo venæ ſectio fiet, ſi corpus fuerit plethoricum, aut ſi menſes, aut hæmorrhoides retineantur præter conſuetudinem; primò quidem Saphenæ, poſtero die ſecetur Humeraria; eòq; liberaliùs educatur, quò ſanguis craſsior fuerit. Tandem, ſi præcedentiū, ſubſequentiumq; vſu (ſuppono alia quoq; tentari medicamenta) malum non profligatur, vena frontis, aut ea, quæ ſub lingua eſt, ſecetur. *Incubus.*

2. ¶ In pleuritude venæ cubiti ſectio fiet etiam media nocte, ita occaſione dictante; *Pleuritis.*

perniciem enim minatur tum febris acuta, tum respiratio impedita, tum dolor acerbissimus. Aperiemus autẽ, vbi nonnihil mitiùs se habebit, Basilicam, aut Mediam, si dicta lateat, è directo ipsius laborantis lateris, id est, eiusdem lateris; simul enim euacuat, reuellit, necnon diuertit: partitis autem vicibus id fiet; potissimùm si vires sint debiles, nec plethora adsit. Cætera vide inferiùs in libro de cucurbitis scarificatis. Sed maximè ea, quæ superiùs quoq; lib: 1, cap. 7. nume. 4. & 5. dicta reperies.

CAPVT XIX.

Morbi pulmonis.

Pulmonis morbi.

Thusis.

1. IN Thusi, dum à pulmone, siue vijs, per quas spiritus mouetur, humorem ruentem auertere studemus, venæ sectio fiet ipsius quidem Cephalicæ, potissimùm si fluxio adsit molesta, siue materia calida fuerit, siue frigida, modò corpus multùm sit repletũ, ita, vt inde pectori pulmonibusq; libertas se mouendi adimatur; alioqui frigida redundante materia, à venæ sectione abstinebimus.

Asthma.

2. ℭ In Asthmate venæ sectio conuenit, si æger sanguine abũdet, si hęmorrhoides, mensesq;

mensesq́; suppressæ sint; alioqui vix admittenda.

CAPVT XX.

Morbi cordis.

Morbi cordis.

Tremor cordis

1. IN Palpitatione, seu tremore cordis venæ sectio instituenda erit; in plethorico quidem corpore ipsius Basilicæ in dextro brachio, si fortè periculū sit alicuius apostematis, aut si hemorrhoidarum, mēsiumue subsistentium ratione fiat hoc malum, aut si ab aquosis multis humoribus fiat pericardio conclusis; sæpenumero enim breui admodū temporis spatio finire malum solet. In sinistro verò brachio instituetur venæ sectio, si à melancholia ortū trahat, aut si vapores melancholici in causa sint. Si verò id, quod noxam affert, ex inferioribus partibus illabatur, sectio fiet ipsius Malleoli: etenim venæ dictæ sectio materiam, vaporesq́; auertit à corde.

Syncope

2. ¶ In Syncope venæ sectio, dum à plenitudine fit, præsentaneum admodum est remedium. Aliàs hîc non conuenit venæ sectio, cùm etiam sinè hac sæpè syncope incidat; nisi dolor acerbus à vitiosis humoribus excitatus, syncopen inducat.

 3. ¶ In

Pestis. 3. ¶ In Peste, seu pestilentia vena incidenda erit mox ab initio mali, cùm primũ suspicio mali adest, antequam elabantur sex, aut octo horæ, idq; sanguine pecante tum quantitate, tum qualitate, aliter non, & antequam sanguini, atq; cordi, ita communicata sit veneni labes, vt reuelli non posit; id quoq; eò audentiùs fiet, si materia mali adhuc fluat, ægerq; multùm affligatur ex lateris dolore, aut inflammatione, vt si ab initio difficilis respiratio concurrat, aut pectoris angustia. Si verò venenum, malignique spiritus sanguinem iam infecerint, diffusiq; per corpus fuerint, nulla omnino debet fieri sanguinis extractio. Vena autem incidetur in eo latere, in quo dolor, atq; grauitas maior percipitur; Cephalica quidem, si circa faciej, capitis, colliue partes sentiatur dolor, Basilica verò, aut eâ non apparente, Media, aperietur, si sub alis grauitas percipiatur, aut in pectore, aut latere, aut ventre. Malleoli verò, dum in crure, vel inguine percipitur grauitas. Detrahemus autem vncias quatuor, vel plus, prout humores adhuc immunes existunt à veneni labe, & prout multo sanguine abundat æger; Nec est, quòd tunc vereamur humorum exagitationem: hoc enim in magna sangui-

ſãguinis miſsione duntaxat eſſe licet. Venæ ſectio quoq; non admittitur, ſi malum incipiat cum alui lubricitate, aut vomitione.

Notæ.

1. SI bubo apparuerit á principio febris, phlebotomia prodeſt, ſin minus, 2. vel 3. diebus, aut 4 póſt nocentiſsima.

2 ¶ Statim igitur atq; grauari caput, & cætera membra cæperint, non expectatis mendacijs ſignis, & bullarum inflatione, ad remedia currendum erit.

3. ¶ Itaq; ſi bulla, vel aliud ſignum, adhuc non apparuerit, in tibijs, vel in alio loco, duas cõfeſtim natibus applicato ventoſas, duas pariter femoribus, vel coxis á parte poſteriori.

4. ¶ Poſtmodum phlebotomia fieri poteſt, ſi videbitur expedire, non tamen poſt tertium, aut quartum diem á correptione, vt ſi bulla nulla adſit, à parte dextra ex vena communi, vel mediana, ne venenum ad cor attrahatur á ſiniſtra.

5 ¶ Si etiam apparuerit ſignum aliquod ab eodem latere, extrahendus eſt ſanguis, ne venenũ extendatur per omnes venas.

6. ¶ Si circa aures, vel collum, minuatur ex Cephalica eiuſdem lateris, iuxta pollicẽ manus, ſi comprehendi nequit, fiat in Mediana, quæ compartici.

participat vniuerso corpori: vbi & ista non pate-at, fiat in manu eadem ex vena inter pollicem, & indicem.

7. ℂ Si sub axillis apparuerit, euacuetur he-patica in brachio eiusdem partis, in qua signum; vel ex communi, vel in manu, vt supra.

8. ℂ Si in inguinibus, fiat minutio ex Saphena, id est, sub talo pedis eiusdem lateris, id est, sub ca-uillis, aut sub genu, in eodem latere; vel paraly-tica in minimo digito pedis; vel si ab origine gulæ vsq; ad caput apparuerit, fiat ex Cephalica eius-dem lateris.

9. ℂ Si à gula vsq; ad vmbilicum ante vel re-tro, fiat phlebotomia ex Hepatica.

10. ℂ Si ab vmbilico infrà, debet minui Saphe-na, vt suprà.

11 ℂ Phlebotomandum est, quantò citiùs fie-ri potest, saltem cùm primùm apparere incipit apostema.

12. ℂ In debilibus sufficit extractio 2. vnc. in a-lijs plures fieri possunt pro patientum robore, & sanguinis abundantia: febris & rigoris tempore tamen minimè fiat.

13. ℂ Si versus nates vergit signum, mittatur sanguis de crassiori vena, & magis apparente, in dorso pedis eiusdem lateris, vel in manu iuxta an-nularem.

14. ℂ Si circa spatulas ventosæ applicandæ

sunt,

ſunt, vbi iunguntur ſpatulæ, minutio verò fiat ex Media, quæ dicitur communis, & nigra.

15. ¶ Si in collo, vel in capite, minuatur Cephalica iuxta pollices manuum.

16 ¶ Si ſub, vel in dextro brachio, phlebotomia fiat de vena pulmonis, inter medium, & annularem eiuſdem lateris.

17. ¶ Si circa brachium, vel ſiniſtrum latus, ex vena Saluatella, inter dextræ manus paruum, & annularem digitum.

18 ¶ Si in inguinibus, & in ſiniſtro latere, ex vena Paralytica minutio fiat inter poplitem pedis, & alium propinquum in eodem latere.

19. ¶ Si in tibijs, vel in pede dextro, ex vena, dicta, mulierum vena.

20. ¶ Si ſub teſtibus internè ad femora, laxetur Saphena pedis, vel malleolaris interior.

21. ¶ Si ſub genibus externè, laxetur ſchiatica, vel paralytica

22. ¶ Si ſub genibus internè, laxetur Baſilica pedis.

23. ¶ Si nulla bulla appareat, nullaq; punctio, nihilominus adſunt febres peſtiferæ, laxetur epatica dextri brachij, vel mediana.

24. ¶ Si punctiones adſint abſq; bullis, ſeruetur ordo minutionis, ac ſi bullæ adeſſent, vti ſuprà.

CAPVT XXI.

Morbi ſtomachi.

Cardialgia.

1. IN Cardialgia, ſeu, dolore ſtomachi venæ ſectio fiet ipſius Baſilicæ dextri lateris, ſi a ſanguinis copia ortum habeat, & dolor maximus fuerit; plurimum enim tunc ſemper iuuamenti affert.

Imbecillitas ventriculi.

2. ℂ In imbecillitate ventriculi, venæ ſectio Iecorariæ fiet, ſi dolor concurrat multùm moleſtus, aut repentinus.

Cibi faſtidium.

3. ℂ In cibi faſtidio, ſeu, inappetentia, ſi fiat ob prauos aliquos ſuccos, qui ab hepate ad os ventriculi defluunt, inſpiciendum, an aliqua in toto corpore adſit multitudo: hac enim apparente, poſt alui lenitionem, iuxta plethoræ gradum, ac languẽtis vires; ſanguinem mittere debemus; ſecta Baſilica dextri cubiti. At ſi nulla multitudo videatur, à ſanguinis miſsione abſtinendum: ac redundantis humoris qualitas conſideranda, vt peccans ipſa materia tum præparari, tum educi poſsit opportunis medicamentis.

Inflãmatio ventriculi.

4. ℂ In ventriculi inflammatione, poſt alui lenitionem, Baſilica dextri cubiti eſt ſecanda: ac toties ſanguinis miſsio eſt repetenda;

tenda, quoties visum fuerit opus, à morbi magnitudine, necnon à viribus, indicatione sumpta. Quòd si ventriculus erysipellate detineatur, sanguis in minori iam quantitate detrahendus; ac statim biliosus humor præparandus erit, dein expurgandus.

CAPVT XXII.

Morbi hepatis.

Hepatis obstructio.

1. IN Obstructione hepatis, venæ Iecorariæ dextræ sectio fiet, si in vetustatem malum necdum abierit; aut si materia crassa sanguini copiosè permisceatur; hanc enim loco moueri cogit sanguinis missio. In hęmorrhoidibus tamen, mensibusque suppressis, cruris venam secabimus.

Icteritia.

2. ¶ In Icteritia venæ sectio fiat ipsius Basilicæ in principio mali, si sanguinis copiâ oneretur ægrotus: alioqui periculũ est, ne hydrops accersatur. Maximè autem vena prædicta aperietur, si icteritia ab obstructione fiat meatus, per quem fel in folliculũ transmittitur.

Hydrops.

3. ¶ In Hydrope venam nullo modo incidemus, vti nec in tympanite, etiamsi vrina rubra fuerit, eò, quòd intemperiem humidam augeat sanguinis vacuatio; nisi à

suppreſsis menſibus, aut hęmorrhoidibus periculum impendeat, ne in hepar ſangui irruat, eiuſq; natiuũ calorem opprimat ob malignam aliquam qualitatem, aut eiuſdem copiam. Quod tamen ſi neceſſarium videatur, aduerte, ne magnæ vacuationes vllo modo fiant, ne virtus proſternatur ipſius iecoris; ſed frequenter, atq; parcè vacuaremus, intercedentibusq; diebus aliquot. Ac roborabimus tunc ſtomachum, atq; hepar, idoneis, ac conuenientibus, medicamantis.

Gallicus morbus. 4. ℭ In lue venerea venæ ſectio fiet, ſi corpus ſit plethoricum, & recens adhuc ſit malum, ipſius iecorariæ; & potiſsimùm ſi dolores magni concurrant: eos enim ſedat.

Iecoris inflammatio. 5. ℭ In inflammatione iecoris, reddito clyſtere eo tempore, quo æger minus calere videbitur, declinatione acceſsionis, ſi afficiatur hepatis pars caua, potiſsimùm eryſipellate, ſtatuta tenuiſsima victus ratione, venam Baſilicam diuidito; quæ ſi non appareat, Media, aut etiam Cephalica, vulneranda eſt. Probatum quoq; antiquis Medicis, vt venæ extremæ manus aperirentur. Galenꝰ eam elegit, quæ ad pollicem vergit, & bene ſucceſsit. Paulus, quæ ad minimum. Rhaſes, quæ ad mediũ; Sed ex his parũ ſanguis

effluit.

effluit. Grauis autem inflammatio est, & febris, quæ vacuationem desiderat, & subitã & copiosam, etiam ad animi deliquium, nisi partis alicuius nobilitas repugnaret, quæ sinè graui detrimento subitam, plurimamq; vacuationem non sustinet, ex quo temperanda est vacuatio. Gal. ad finem 7. Meth. & lib. 13. multam vacuationem facit; sed &, cæteris non consentientibus, partitur. Adde, quòd calidius, & siccius hepar, minùs calido & sicco difficiliùs fert copiosam vacuationem, etiamsi & inflammatio, & febris, vtraq; magna.

6. ℂ In vomitu sanguinis, post alui lenitionem, si ab eo fluit sanguis, diuersionis ergò, Communis dextri cubiti est secanda; si ab hepate, Basilica eiusdem brachij; si à liene, Basilica sinistri; si ab vtero, multitudine existente, primò Communis, vel Basilica, deinde Saphena est secanda; At si nulla videatur multitudo, statim Saphenã secare conueniet. Sanguinis autem missio toties fieri debet, quoties à sanguinei vomitus magnitudine languentis viribus, ac temperamento, fuerit indicata. Post venæ sectionem vomitus ipse cohibendus stipticis, infrigidantibus, glutinantibus.

Vomitus sãguins.

7. ℂ In scirrho hepatis (est tumor præter na-

Scirrhus hepatis.

ter naturam durus, atq; frigidus, ex humore lento, & crasso, ortus, qui partibus, quæ indurātur, tenaciter infigitur; ac dignoscitur ex dolore, cum positu, duricie, atq; renitentia) inspiciendum primò, num aliqua cū scirrhoso tumore fuerit annexa plethora; hac enim apparente, venam cubiti dextri Basilicam secare possumus; ac sanguinis ℥ vnc extrahere Aç ita si ob suppressas hęmorrhoides, vel retentos menses, affectio gignatur, stante multitudine, Basilicam dextri cubiti primò vulnerabimus; deinde in viris hirudines venis sedis applicabimus; mulieribus autem ex Saphena dextri pedis sanguinem mittemus. At si nulla videatur plethora, ex venis ipsis sedis, & ex Saphena tantùm, sanguinem mittere sufficiet. Post hoc pituitosus humor peccans, præparatus primò, conuenienti pharmaco educetur.

Splenis morbi

CAPVT XXIII.

Morbi splenis.

Tumor splenis

I. IN tumore splenis, existente plethora, post alui lenitionē vena Basilica diuidetur sinistri lateris: modò vires ferant; alioqui vena, quæ ad mediū digitum est, vel

mini.

minimũ, secabitur. Si tamen antiquum sit malum, à venæ sectione abstinebimus, cùm inde magis indurescerct.

2. ¶ In lienis inflammatione, vbi origi nem habet ob sanguinis effluxum, iniecto priùs enemate, secanda est Basilica sinistri cubiti primò (vt Gal iubet lib. de cur. per sangu. miss cap. 16.) mox Saluatella sinistræ manus: ac sanguinis vnc. 2 vel 3. qualibet vice extrahantur. Quòd si orta sit affectio ex retentis hemorrhoidibus, vel mensibus, stante multitudine, secetur primò Basilica sinistri cubiti: postea viris hirudines in venis sedis applicentur, ac mulieribus conuenienter ex Saphena sinistri pedis sanguis mittatur. Nulla verò existente multitudine, solæ hirudines appositæ, & solà sanguinis missio ex Saphena sufficiet Postea educendi præparabuntur humores.

Lienis inflammatio.

CAPVT XXIV.

Morbi ventris, & intestinorum.

Ventris morbi.

1. IN Dysenteria venæ sectionem instituemus ipsius Humerariæ in principio mali, antequam vlcus aliquod præsens fuerit;

Dysenteria.

erit; modò vires validæ sint; & potissimū si dolor adsit magnus, aut magna inflammatio, aut si consueta aliqua vacuatio suppressa fuerit, hæmorrhoidum nimirum, mensiumue; reuellit enim sanguinis impetum, eiusq; acrimoniam remittit. Hoc quoq; fiet, si ex subita alui suppressione æger laboret; periculū enim est, ne viscus aliquod nobile obruant excrementa vitiata, excernique solita: vlcere autem præsente, nequaquam fiet venæ sectio; neq; enim vlcus curat; adde etiam, quòd vires deijciat.

Colica, & Iliaca passio.

2. ¶ In Colica, atq; Iliaca passione, venæ sectio efficax sepè remedium in dolore admodum graui deprehenditur; si eâ reuellimus materiam à colo intestino.

CAPVT XXV.

Morbi renum.

Renum morbi

Calculꝰ renum & vesicæ.

1. IN Calculo renum atq; vesicæ venæ sectio fiat cubiti, lateris dolentis, si corpus sit plethoricum, inflammationisq; periculum ex incursu humorum, cum dolore acerbissimo, vrgeat.

Diabetes

2 ¶ In diabete (quæ est affectio diuturna circa renes consistens, siti inexhausta concurrente, vna cum hoc, quòd quicquid

bibitur

bibitur, simul, vt acceptum est, per vrinas, nihil ferè immutatum, exuberanter reiicia tur, quasi solùmmodò colaretur per renes) secetur vena cubiti in mali principio, idq; moderatè, præter enim quàm quòd reuellat, etiam plurimùm in hoc malo ardorem temperat; non autem, si inueteratum malũ sit, vena relerabitur; cò quòd magis corpus tunc inde incẽdatur; adde etiam, quòd vires debiles nimiùm imminuantur.

3. ¶ In renum inflammatione, secandã venam è cruribus Galenus præcipit, renibꝫ scilicet, vesica, pudendo, ac vtero, patientibus Nihilominus tamen, materia adhuc fluente, ac in principio inflammatione existente, eiusdem Galeni præcepto, in renum phlegmone venam cubiti incidere possumus, eòq; potissimùm, si plethora aliqua inspiciatur. At si fluxa iam materia fuerit, ac minimè recens inflammatio, nullaq; plenitudo videatur; venam poplitis, aut eam, quæ in Malleolis est, secare oportebit.

Renum inflammatio.

4 ¶ In hęmorrhagia renum, id est, sanguinis è naribus profluuio, si gignatur ob vasorum ruptionem; propter casum, vel ictum; vel propter sanguinis multitudinem; post alui lenitionem, Basilica dextri cubiti, reuulsionis gratia, secanda est: ac 3. vnc. sã-

Hæmorrhagia renum.

I guinis

guinis extrahendæ: atqui in principio statim (Aetij præcepto) huiusmodi sanguinis missio facienda.

CAPVT XXVI.

Morbi vesicæ.

Vesicæ morbi.

Calculꝰ vesicæ.

1. IN Calculo vesicæ, quæ vena incidenda, & quando, vide capite proximè superiori, numero primo.

Dysuria.

2. ℭ In dysuria, id est, difficultate meiendi, vbi vrina acrior est, si quidem corpus bene carnosum est, si inflammationis suspicio est, vena *Basilica* secanda est.

Ardor vrinæ.

3. ℭ In vrinæ ardore phlebotomia tùm conuenit, cùm calidius corpus est, brachio.

Mictus sanguinis

4. ℭ In mictu sanguinis, si fiat à percussione, vel à casu, prima intentio est diuersio: & in hac competit phlebotomia *Basilicæ*, quæ primò respicit hepar: & ita diuertimus.

Inflammatio vesicæ.

5. ℭ In inflammatione vesicæ, post alui lenitionē enemate, stante multitudine, cū virium robore, secanda est primò interna dextri cubiti, ac secundò vena Poplitis. Quòd si nulla plethora videatur, sitq; materia iam fluxa; ex poplite tantùm vel ex Malleolo sanguinem mittere satis erit.

6. Stran-

6. ❡ Stranguriam, id est, vrinæ difficultatem, illam præcipuè, quæ dolorosa est, & inflammationem minatur, sectio venarum interiorum cruris, hoc est, Poplitis, & Tali, ad partem cruris domesticam attinẽtium, soluit. De quo Hippocrates Aph 36. lib 6. *Vrinæ difficultatem dolorificam soluit phlebotomia; secare autem oportet internas venas: materiam enim euacuat, & inflammationem fieri reuellendo prohibet.*

Stranguria.

CAPVT XXVII.

Morbi pudendi.

Pudendi morbi.

1. IN Gonorrhæa cõtagiosa, præmissis debitis purgationib9, axillaris vena tundenda est dextri cubiti, sanguisq; maiori, vel minori quantitate demendus, pro apparentibus vtriusq; plenitudinis indicijs, & vrgentib9 symptomatis, ardore vrinæ, & tẽtigine.

Gonorrhæa contagiosa.

Si verò à seminis copia proueniat, & adsit plethora, post alui lenitionem, secanda est primò Basilica dextri cubiti, secundò Saphena dextri pedis: ac vnc. 3 sanguinis pro vice vna extrahantur. Apparente autẽ cacochymia, citra plethoram, humores præparentur, deinde pharmaciâ educantur.

Gonorrhæa à semine.

2. ❡ In Gangræna pudendorum (est

Gangræ-

ma pudē-dorum. incipiens partis inflammatæ mortificatio, quam primùm pars ipsa leuanda est copiosa sanguinis eductione; aut per apertionem vicinæ alicuius venæ amplioris ad deriuationem; aut per hirudinum appositionem; aut potiùs per crebras, altasq; scarificationes, ad vacuationem particularem.

puta lōgā dù râq;. 3. ¶ In Furunculo, & Carbũculo vrethræ (qui ex equitatione b partes vrethræ vicinas veluti contusas aliquando inuadunt) post phlebotomiam reuulsoriam, & deriuatoriam, ac purgationem cacochymiæ redun-

Furunculus. dantis biliosæ, & atrabilariæ, curatio propria est per causæ coniunctæ vacuationem, & mediocrem repressionem ab initio, mixtamq; resolutionem.

Testium calida intéperies, 4. ¶ In calida testium intemperie, phlebotomia in cubito purgationi præponenda: sed emollienti clysterj postponenda est.

Penis mollities 5. ¶ In mollitie penis (ab obstructione musculorum penis ipsius nata) phlebotomiæ rarior fit vsus; nisi alterutrius plethoræ manifesta adsint indicia.

Penis magnitudo. 6. ¶ De magnitudine penis, crebræ, sed leues phlebotomiæ, & hęmorrhoidũ profluuium, ab eodem repellendo, extrudendoq;, detrahunt.

7. Prin.

7. ¶ In Priapismo (quem alij vocant Satyriasmum; a libidinosa Satyrorum tentigine) idiopathiâ, phlebotomia sit parcior, (est enim humor crudior) & in cubito dextro, vt pote hepati, & venæ cauæ viciniori, reuulsionis promptioris causa, sed tamen eadem ex poplite & malleolo vtroq; poterit celebrari, deriuationis causa in augmêto genitæ phlegmones. Clyster phlebotomiæ, & purgationi præmittatur leniens, & modicè refrigerans, ad viciniorum genitalium calorem temperandum.

Priapismus.

In Sympathia verò a semine copioso, vel acri, phlebotomia sit vberior in iuuenibus, præsertim sanguineis, & ociosis.

8. ¶ In præputij, glandisq; inflammatione, (earumdemmet partium vlceribus superuenient) conuenit phlebotomia copiosa; in cubito dextro; quæ tamen viribus respondeat.

Præputii & glandis phlegmone.

9. ¶ Vlcera penis, tàm interna, quàm externa, ex impuro contracta scorto (ex quibus sordes saniesq;, non simplex quidem, sed contagiosa fluit; similiter ex eadem causa excrementa tantùm putria: sordida, saniosa, viscosa sinè vlcere) curentur per phlebotomiam, alterutra plethora existente; alias per purgationem cacochymiæ peccan-

Penis vlcera.

tis; vel, per serosorum humorum ex habitu digestionem, per sudores.

Vrethræ obstructio.

10. ¶ In obstructione vrethræ à callo, verruca, ac tuberculo carnoso, siue phymate, plethoram puram, impuramq́; pro ipsius, viriumq́; ægrotantis, modo, vena cubiti dextri præcisa, euacuat.

Cancer pubis, inguinis, & pudendi.

11. ¶ Cancrum (is oritur ex melancholia excrementitia; at naturali; dictus à similitudine coloris, figuræ, naturæ; isq; duplex: Vlceratus, dictus vlcus cancrosum; & non vlceratus, tumor cancrosus appellatus) incipientem, & exiguum, (nam grādior, & obfirmatus neq; pharmaciâ, neq; chirurgiâ curabilis) quocunq; in loco hæreat, tam occultum, vt vteri, hepatis, lienis, narium, palati, faucium; quàm euidentem, vt genarum, labiorum, mammarum, *pubis, inguinum*, & *pudendorum*, verè curat phlebotomia cubiti primùm ad reuulsionem, tum Poplitis, vel Malleoli ad deriuationem; eruptionemq; hæmorrhoidum, si fortasse suppressæ sunt in viris, sicuti mensium consuetorum in mulieribus, facta. At sanguinis missionem sequatur purgatio melanagoga; sed mediocris, ne exasperet potiꝰ. Vltimò tādē in statu, & declinatione causæ coniunctæ curatio vacuatione duplici peragatur: Reuulsione,

uulsione, & digestione. Debet autem vtraq; mediocris esse, non vehemens, aut imbecilla: ne hæc vincatur ab humoris impacti crassicie, illa humorem magis incrasset, & impingat, vel repulsa, vel dissoluta tenuiori portione Multum de cancro: quia multis rarò cedit.

CAPVT XXVIII.

Morbi ani.

Ani morbi

Procidētia ani.

1. IN procidentia, seu exitu ani, si ex inflammatione oriatur, apparente multitudine, reuulsionis gratia, secare primò possumus Basilicam dextri cubiti, mox venam Malleoli. Nulla verò existente plethora, tantùm ex vena Malleoli sanguinē mittere sufficiet.

Hæmorrhoides. nimis fluentes:

2. ℭ In hæmorrhoidibus nimiùm fluentibus venæ sectio iecorariæ dextri brachij non solùm reuellit, sed etiam melancholici sanguinis generationem remoratur.

Rhagadiæ.

3. ℭ In Rhagadibus, seu Rhagadijs, rimis dictis, (sunt scissuræ quædam, quæ in sede fiunt, quandoq; in adstrictiori parte, siue musculo adstringente, quandoq; verò in *ano* genitæ propter influentium humorum acrimoniam, vnde pruritus, mordaci-

tas,

tas, acrimonia, sedem infestant) inspiciendum num cum ipsis, nempe rhagadijs, aliqua sit coniuncta inflammatio, vel plethora, vel nimia caliditas hepatis. His enim, vel aliquo istorum, existentibus, post alui lenitionem, venam secare expedit, Basilicam dextri cubiti primo, reuulsionis, euentationis, refrigerationis gratia; mox venam Malleoli dextri pedis, pro deriuatione; ac sanguinis quantitas iuxta virium robur, ætatem, & languentis temperamentum, extrahatur. Sed si nihil dictorum appareat, à venæ sectione abstinendum; & ad peccantium humorum præparationem, ac tandem euacuationem, deueniendum.

Tumor cæcarum hæmorrhoidum

4. ℭ In tumore hæmorrhoidum, siue cęcarum hęmorrhoidum, diuersionis gratia, laudatur phlebotomia Basilicæ, & Saluatellæ; quæ est inter annularem, & auricularem digitos manus.

Articulorum morbus

CAPVT XXIX
Arthritis.

Arthritis. I.

IN Arthritide, seu morbo articulari, venæ sectio fiat, si sanguis redundet, & morbus iam primò hominem affligat, ipsius Humerariæ, eiusdem lateris, potissimùm si inter-

si infernæ partes, laborauerint. Tandem verò secabimus etiam Poplitis, & Malleoli venam; coxendicum enim dolorem omnino aliquando delet. Ea quoq; quæ iuxta annularem, & paruum digitum, reperitur, aperietur maximo cum commodo, si suis temporibus repetatur. Si verò manus, brachiaue dolore afficiantur, reserabimus venam Poplitis eiusdem lateris maxima cum vtilitate.

Pedogra. Genogra. Schiatica. CHiragra.

CAPVT XXX.

Morbi Muliebres.

Mulierum morbi.

1. IN mensibus nimiùm fluentibus vena interna in dextro brachio aperiatur, si corporis adsit plenitudo viresq; constent, & menses rubeant: partitisq; vicibus sanguis educatur. In eodem morbo venæ apertio Basilicæ sanguinis quoq; impetum reuellit.

Menses nimiùm fluentes.

2. ℭ In mensibus nimiùm suppresis, venæ Malleoli sectio fiat, aut poplitis, bis, terue in anno; si copia adsit sanguinis, secabitur quoq; vena in cubito, hinc Poplitis, vel Malleoli, si magna adsit plenitudo, à cuius copia sæpè obstructio fouetur, quæ etiam repeti poterunt. Fouebuntur autem partes illæ antea decocto maluæ,

Menses nimiùm suppressi.

camomillæ, meliloti, liliorum. Sic equidem sanguis citiùs descendet.

Præfocatio vteri.

3. ¶ In vteri præfocatione, seu strangulatione, Græcis affectus hystericus propriè, (est vteri ad superiora, Paulo auctore, retractio, fit teste Gal. vel ex retento semine, vel ex retento sāguine menstruo) apparente in muliere aliquali plethora, tutò accessionis tempore Saphenā secare possumus: ac sanguinis quantitas iuxta virium robur, ac temperamentum ægræ extrahenda Pro secunda intentione, quæ causam affectus respicit, inspiciendum primò, Nū à retentis menstruis affectio ipsa prouenerit: tunc enim, stante multitudine, dextri cubiti primò vena secanda est, & pauca sanguinis quantitas extrahatur; mox sanguis ex Saphena sinistri pedis iam in maiori quantitate mittendus; Aut saltem sanguisugis, aut scarificatione vtemur; alioqui suspectum remedium venæ sectio erit. Dein permixtum cum sanguine humorem præparabimus, ac postmodum eijciemus.

Matricis descensus.

4. ¶ In descensu matricis, phlebotomiā plethoræ adhibenda.

Mola.

5. ¶ In Mola, plethorica muliere existēte, post alui lenitionem, secanda est primò interna dextri cubiti; mox verò Saphena.

Nulla

Nulla autem apparente multitudine, ex Saphena tantùm sanguis est detrahendus.

Destillatio vteri.

6 ❡ In profluuio muliebri (est vteri destillatio diuturna, auctore Aetio, quod accidit quibusdam quotidie, alijs post mensium purgationem) sanguineo existente fluxu, omni postpositâ morâ, reuulsionis gratia, Basilica dextri cubiti secanda est: ac toties sanguinis misio reiteranda, quoties visum fuerit opus: in pauca tamen quantitate sãguis qualibet vice extrahatur. Quòd si fluxus biliosus appareat, bilis ipsa educenda pharmaciâ, sed priùs præparanda.

Sterilitas.

7. ❡ In Sterilitate, si cum calida vteri intemperie inspiciatur præsentia calidorũ, acriumq; humorum, qui a nimia hepatis caliditate generentur; tunc post alui lenitionem, euentationis gratia, secanda est Basilica dextri cubiti primò, mox verò Saphena sinistri pedis; deinde præparandi sunt humores, ac educendi.

Periculum abortus.

8. ❡ Vt mulier conseruetur ab abortu, postquam iam conceperit, si videatur habitu esse plethorico, ac nullo sanguine referto; ad prohibendum fœtus suffocationem, inprimis quidem mensibus, in quibus fœtus pauco sanguine indiget pro sui alitione, tutò venam dextri cubiti internam aperire

possumus; at paucam sanguinis quantitatem extrahere. Priùs autem corroborandi sunt renes mulieris vnguento Comitis: cũ vng: ros: permixto. Conueniet item, ante sanguinis missionem, fœtum ipsum quoquo pacto corroborare, appomendo supra matris vmbilici regionem frustum carnis vaccinæ assæ, calẽte, conspersæ cinnamomo, & caryophyllis, subtiliter puluerisatis. Præterea mulier quolibet mense semel confectionis subiectæ sumat drachmam vnam cum vnc: duabus Syr. Myrt. R. Charab: Mastiches, Ros. rub. xyloaloes, Margaritarum non perfor. an drachmã vnam, Coral rub. Nardi, Macis, Been albi, & rubri, Cinnamo. Sand. citrin. cardamom an. drachmam 1. Misc. & cum saccharo albis. q. s. fiat confectio.

Vteri inflammatio.

9. ℭ In vteri phlegmone, si in generatione inspiciatur, & adhuc materia fluat, post alui lenitionem; reuulsionis gratia, vena dextri cubiti secanda est. At si facta iam inflammatio fuerit, & nihil fluat ampliùs, tunc venam Poplitis, aut Malleoli secare debemus Dein biliosum humorem cum sanguine mistum præparabimus, educemusq;.

Cancer vteri.

10. ℭ In cancro vteri, quæ vena secanda, vide superiùs capite 27. numero 11.

11. ¶ In Scirrho vteri vacuat cauſam antecedentem phlebotomia; vtilis, dum præciſa cubiti vena, craſsus ſanguis, & nigricans manare cernitur; aliàs inutilis. Rurſus eadem phlebotomia, quoties plethora eſt cacochyma, coctioni præmittenda eſt, vt ſanguis totus ſit ſequacior. Eſt autẽ phlebotomia in ſcirrho vteri non ſolùm reuulſoria ex cubito, ſed deriuatoria etiam in Poplite, & Malleolis celebranda.

Scirrhus vteri.

12. ¶ In Odemate vteri legitimo (eſt tumor conſtans fluxione naturalis pituitæ, eſtq; mollis, digito cedens, veri concolor, albicans, calore exiguo, dolore ferè nullo), phlebotomia raró; nec niſi in plethora pituitoſa, eaq; parcior, conuenit.

Oedema vteri.

13 ¶ In Eryſipellate vteri legitimo, phlebotomia eſt altera purgationis ſpecies; partim reuulſoria ex cubito; partim deriuatoria è poplite, vel malleolo.

Eryſipellas vteri legitimum.

14. ¶ Non vero Eryſipellati curando eadem phlebotomia conuenit: diſcrimen tãtùm eſt in gradu: nam vacuatio copioſior eſſe poteſt, cæteris conſentientibus.

Non verum eryſipellas.

15, ¶ In furore vteri, phlebotomia tum corpus totum refrigerat, excluſis cum ſanguine vaporibus calidis, tum vterum ipſum priuatim, dum proximam gignendi, ſper-

Furor vteri.

matis materia exhaurit, (intelligo sanguinem (Exercenda itaq; illa est primùm in cubito dextro, deinde in Malleolo pedis, vt plethoram tum communem toti corpori, tum verò peculiarem leuare posit. Sed huius modus infra plethoræ, & virium præsentium rationem temperetur, futuræ infirmitatis metu: ob vigilias, inediã, & ferinos motus.

Lubricitas ceruicis pudẽdi muliebris.

16. ℭ Lubricitas & læuitas ceruicis pudendi muliebris. (sæpè soboles intemperiei humidæ; raro natiua, & idiopathica, sæpius aduentitia, ex sympathia totius corporis, aut vteri priuatim contracta, cuius affluentibus excrementis madescere solet) refrænanda phlebotomiâ; si plethora subsit. Aliàs purgationibus phlegmagogis & post illas potionibus hydroticis, vt decocti Guaiacini.

Condyloma pudendi muliebris.

17. ℭ In Condylomate pudendi muliebris (quod est excrescentia, eminentia, tumor, aliàs sinè inflammatione molli, & indolens, aliàs cum inflammatione durus, dolensq;, cuius origo ferè à rhagadijs prægressis) vt fluxio auertatur, phlebotomia in cubito, & in malleolo, celebranda.

Pruritus pudendi,

18. ℭ In pruritu pudendi muliebris, euacuetur antecedens causa per sectionem Basili-

filicæ cubiti dextri, vel ſiniſtri; &, ad viſcus, dyſcraton, directi. Deinde cacochymia ſanguini permixta, poſtquam alterantibus, frigidis humidis, & tergentibus iulepis, aut apozematis ſubacta fuerit, expurgabitur.

19. ℂ In dolore vteri, & vicinarum partium, (ob redundantiam retenti à conceptu menſtrui, atq; ab vltimis venis, ſpermaticis, & hypogaſtricis, in venam cauam, renales, aliorumq; viſcerũ venas refluentis; eaſq; violentius diſtendentis, & impenſius calefacientis) mitigato dolore ſemel recurſus eiuſd. prohibendus eſt, diæta frugali, frictionibus lenibus, necnon vacuatione per ſectionẽ venarũ cubiti dextri, præmiſſo clyſtere communi, & emolliente: Si quidem abortus periculum ex doloris vehementia, & ſanguinis copia metuatur.

Dolor vteri.

20 ℂ Rigor, horror, & frigus grauidarũ (à retenti ſanguinis menſtrui motu per venas, vterumq; ortis) prohibetur quidem diæta idonea; vacuatio autem neq; per purgationem, neq; per phlebotomiam, niſi forſaſſe à cacochymia, aut plethora abortus periculum impendeat, conducit. Quòd ſi puellas nubiles, & viduas eadem ſymptomata à menſium ſuppreſsione inuaſerint, mox illi quidem neceſsarijs vacuationibus, & alte-

Rigor, Horror, & Frigus grauidarum.

& alterationibus citandi sunt, tum purgatio nibus, tum phlebotomijs; alijs, quæ conueniunt, non omissis.

Palpitatio cordis prægnantium.

21. ¶ In palpitatione cordis prægnantium (recenti, nec ante conceptionem molesta, ex sympathia vteri orta, suppressi menstrui noxâ) phlebotomia sanguinem redundantem in toto corpore, vel viscere aliquo, vaporemq;, eius cor lacessentem, exhaurit, ex præcisis venis cubiti dextri, vel sinistri; pro varia sede affecti ab vtero visceris. Huic phlebotomiæ præmittatur clyster molliens, tergens, resoluens, paucusq; & mediocris deambulatio; quæ torpidum sanguinem ad fluxum exuscitet Purgatio quoq; clemens, & non innocens, omnisq; venenatæ qualitatis, & acrimoniæ, expers, crebraq;, & bis, aut ter reuocata, & alternatim in hebdomade, phlebotomiæ quã primùm substituatur, quæ cacochymiæ flatuosæ speciem impunè detrahat, eaq; per interualla duarum, aut trium, purgationũ sensim coquatur, & expulsioni apparetur. Puellis autem nubilibus, viduisq; palpitatione laborantibus, ob mensium suppressionem, prouocatione eorumdem per phlebotomias, purgationes, viscerumq; corroborationem, & congruam diætam, medendum est.

22. ¶ In vtraq; intermittentium febriũ specie, id est, constantium, & erraticarum, quibus mulier prægnans conflictari solet, si cacochymi sanguinis plethora, grauisq; lassitudo, vrgeat, & venarum tumor emi-ceat, aut vehementiora symptomata accessionum torqueant, vt rigor, cephalalgia, & id genus alia, tum moderata, & partita potiùs, quam vnica, venarum cubiti sectione ante purgationẽ erigendæ, leuandæq; vires sunt; præmisso clystere molliente.

Febris intermittens grauidarum.

23. ¶ Phlebotomiam omni grauiditatis mense tutam, & vtilem esse ad vacuationẽ, in primarijs febribus acutis, id est, continuis grauidarũ, & ad reuulsionẽ in symptomaticis, putamus: cùm n. purgationẽ multò magis naturæ aduersam secundo tertianario permittat, cur ab eadem phlebotomiam excludat? cur si primo tertianario totò in quibusdam prægnantibus sanguinis redundantia menstrua penè dò exhauriatur à natura, phlebotomiæ vim grassantibus tum febribus acutis repudiemus? cur denique à tertio tertianario phlebotomiam remoueamus, cùm sanguinis multum ex primis mensibus residuum sit? Retineatur ergo tam salutare præsidium, quantitate eius cõuenienti diligenter æstimata, partim è magnitudine febris, partim ex matris robore,

Febris acuta grauidarum

 partim

partim ex ætate fœtus: cuius incolumitas ex sanguine materno pendet: ideóq; primò tertianario parum, secundo minus, tertio minimum detrahendum; idq; partitè potiùs, quàm vniuersim, vt interiectis interuallis vires reficiantur. Phlebotomiæ autem penuria, victus frugalitate, supplenda est: præstat enim debilem nasci fœtum, quam abortiuum exire.

Obiectio.

Aphorismus Hippocratis expositus.

Hippocrates lib: 5. Aph. 31 ita scriptum reliquit: Mulierem grauidā ex vllo morbi acuti genere laborare, funestum: Ergò *frustra manum admouemus prægnanti acutâ febre correptæ? Dicas, hoc prognosticon non in necessarijs, sed frequentibus tantùm casibus esse numerandum. Curanda igitur mulier, si acutè ægrotet, neq; ob desperationem salutis relinquenda, corroboratis corroborandis; vti superiùs dictum.*

Dolor dentium grauidarum.

24. ¶ In dolore dentium grauidarum (orto ab intemperie calida humorali, ob destillationem à capite, vel biliosam, & acrem, & sanguinem) phlebotomia Cephalica fiat; hæc verò in alijs temperanda est, pro virium ægrotantis modo, in prægnātibus; fœtus præterea commeatui est

consu-

consulendum, ne ob phlebotomiam indigeat

25 ¶ Symptomatibus redundantiæ vacuationis excrementorum puerperarũ vniuersalibus, vt febri acutæ, & particularib9, vt inflammationi totius vteri, pleuritidi, peripneumoniæ, & phrenitidi, singulis efficacissimè medetur præptissima & copiosissima phlebotomia in venis Poplitis, & Malleoli; primis saltem puerperij diebus: nam medijs, aut vltimis, quibus iam finita lochiorum vacuatio est, phlebotomia parcior conuenit. In particularibus contra, vt phrenitide, & alijs modò recensitis, venæ cubiti apeiendæ sunt (missa Saphena) deriuationis simul & reuulsionis gratia. Purgatio quoq; omittenda non est, quæ cacochymiam educat, putredinis materiam.

Redundantia vacuationis excrementorum grauidarum.

26. ¶ In redundantia lactis grauidarum (cuius proxima causa, sanguinis menstrui affluentia, partus, aut suppressio mensium, grauiditas, aliaue causa morbifica in non grauidis) phlebotomiæ, si lochia procedant, locus non est: at ijsdem parcius procedentib9, illius vsus est in Poplite, & Malleolo: in prægnantibus verò in cubito; ne citetur abortus Venæ inferiores aperiantur in effœtis, & non grauidis, tum ex cubi-

Redundantia lactis grauidarum.

to, si plethora sit, tum ex inferioribus parti-bus, reuellendi causa. Purgatio quoq; leuior, reuulsionis causa, effœtis, & grauidis conuenit, pro cacochymiæ specie, admixto adstringenti puluere; Vt Rhabarbari, & myrobalanorum: sed puerperis nocerent.

Mammarum phlegmone muliebrium. 27. ¶ Fit mammarum phlegmone à fluxione sanguinis incitata, vel à causis externis, calorem, aut dolorem incutientibus, vt multitudine sanguinis ex retentis mensibus, vel lochijs; Cui quidem initio statim reuellens phlebotomia in cubito conuenit.

CAPVT XXXI.

Venarum morbi, & febres.

Morbi venarum, & febres.

Plethora. I. PLethora, id est, plenitudo, cui nullius partis affectio assistit, qualibet ex uena, citra delectum, detrahitur, commodissimè tamen, vsuq; maximo, ex interiore cubiti dextri, quæ à caua plurimùm, & à iecore validissimè prolicit. Plenitudo biliosa ex dextri quoq;, melãcholica ex sinistri cubiti interiore vena: ita enim efflagitat lienis situs. Quæ verò ex crudorum colluuie suborta fuerit, ex vtrocunq; cubito peræquè demi potest.

Plethora biliosa. Melancholica.

Cacochymia. 2. ¶ Cacochymiæ omnis, quæ in venis condi-

condita est, vitijs vna sectio venæ expeditè succurrit, ijsq; liberat, si illinc, non autē visceru m vitio, genita est; tunc enim præstantior est purgatio. Hac de re, si plura cupis nosse, lege caput 5. huius libri, inferiùs positum, cum notis ad illud.

3. ℭ In febre ardente; seu Causo (qui, quoniam duplex, legitimum intelligo) siue à syncera bile, siue à bilioso pendeat sanguine, dummodò vires, & ætas, consentiat, venam quàmprimùm aperiendam arbitramur, partim refrigeria ventilationis causa, partim reuulsionis. Nam alioquin metus, ne is copiosior ad loca cordi vicina, propter eorundem ardorem, attrahatur, & ibidem adultus, inflammationem pariat. Deinde, videmus naturam (cuius rectè operantis imitatorem decet esse Medicum) frequenter Causon hęmorrhagiâ, narium salubriter indicare: Emittatur verò commodè ex vena brachij dextra interna; nisi in pulmone, præsertim sinistro, focus sit febris; quo casu, antefertur sinistri cubiti vena. Liberalissimè porrò exhauriendus est sanguis, ad eum ferè modum, quem in Synocho præscribemus. Parciùs in causo à flaua bile, & anni tempore æstuoso, alijsq; circumstantijs, quæ cautiores nos esse iubēt

Febris ardens.

in detrahendo sanguine. De quibus vide Gal. lib. de rat. curandi per venæ sect. cap. 13 & 14. Si bilis multa in ventriculo, & vicinioribus locis contineatur, quod ex ardore, morsu, nausea, oris amaritudine, innotescet, priusquàm vena vulneretur, leuem aliquam purgationem adhibebimus. Alias vbi in principio morbi neglecta fuerit, plenior illa purgatio in posterum nullum habebit locum, vsq; dum coctionis notas vrina demonstrabit.

Synochus continens febris.

4. In Synocho, seu continente febre (sic dicta, quod vnam habeat accessionem ab initio ad finem vsq; perpetuò manentē, eamq; in plures dies exporrectā; quæ quidem febris dicitur calor immodicus in massa sanguinis conceptus) sanguinem mitti volunt veteres vsq; ad animi deliquium: quia inde totum corpus in contrariū statum agatur celerrimè ex lipothymia, scilicet, refrigerata. Mittendus igitur sanguis est, nisi prohibeant vires, & ætas, aut natura alio sibi vacuationis genere salutem quærere videatur; aut cibus in ventriculo etiamnum insit crudus; qui proinde priùs vel euomēdus, vel concoquendus est; aut aluus sit constipatior, quam quidem glande subdita, vel iniecto enemate, antea subducere,

atq;

atq; emollire addecet. Si omittatur phlebotomia, Gal. 9. Meth. c. 4. caloris natiui suffocationem, aut syncopen, impendere tradidit; nisi fortè robore virium spontaneâ hęmorrhagiâ, vel largè dimanantibus sudoribus, à tanta pernicie seruetur æger. Quodcirca primò quoq; tempore venam incidere oportet; sic enim natura parte oneris leuata, ideòq; confirmata, validiùs reliquam morbi materiam propellit. Vnde post phlebotomiam necessariò sequi solet alui deiectio, interdum etiam bilis vomitus; quas res postea excipit sudor, vel mador, totius corporis. De tempore nihil vetat, modò vires constent, quandocunq; venam aperire. Cæditur autem opportunè Hepatica; nisi quando metuitur apoplexia sanguinea, vel angina; quo casu Communem, seu Mediam, præferunt. Tutiùs verò est sanguinis detractionem partiri, vt inter vtramq; horæ V. G. VIII intercedant, quàm semel ad animi deliquium eum profundere; nisi quis, in artis operibus diu multùmq; versatus, vires decumbentis exactè sibi perspectas habeat, easq; accuratiori quadam ratione nouerit dimetiri. In pueris vicariam phlebotomiæ operam præstant cucurbitulæ scarificatæ. Sunt qui ex

Gal.

Gal. lib. 4. de san. tuen. c. 10 non dubitant phlebotomiæ ob metum, aut ætatem prætermissæ pharmaca diuretica, aut diaphoretica oportere substituere. Quæ tamen curandi ratio non iniuria suspecta queat esse. Nam purgantia non educunt sanguinem, qui solus in præsentia & quantitate potissimùm peccat: & Gal. per sanitatem, nullo vrgente periculo, phlebotomiæ purgationem succedere patitur, minimè verò in morbo tam graui, atque præcipiti? Vrinas verò cientia, quæ validiora sunt (nam leuia nil hîc effatu dignum præstant) calida cùm sint, febrem augent; eademque (quod de sudorificis quoque intelligendum fuerit) in tanta corporis plenitudine, & acumine morbi, minimè conueniunt. Quæ tamen in progressu morbi, exhausta iam nonnihil plethora; &, si putrida est Synochus, materia quadantenus concocta, atque domita, vsurpare nihil prohibet.

Febris ardens spuria.

5. ¶ In causo notho, seu febre ardente spuria, vena sectio non adeò necessaria per se est; nisi cùm plethorica dispositione iungatur. Constat autem hæc febris è pituita salsa, vel bilis admissione adulterata.

Tertiana continua.

6. ¶ In tertiana febre continua (quæ fit ex bile putrescente in vasis minoribus, & à corde

à corde

à corde nonnihil remotioribus, & causas easdem cum febre ardente sequitur, nisi quod hîc sint leuiores) phlebotomia à causi phlebotomia nihil discrepat; nisi quòd minorem exigat.

Tertiana periodica, seu intermittens.

7 ℭ In tertiana periodica, seu, intermittente (quæ non materia, sed putredinis foco discrepat à causo) missionem sanguinis pleriq; in dubium vocant, eò quòd vires cum hoc morbo minimè constare posse videantur. Nam febris ista biliosis solùm corporibus, macilentis, cœlo, anni tempore, ac regione, æstuosis, accidit. Quibus sanè subscribimus, ea tamen animaduersione adhibita, quòd etsi iam exquisitissimæ illæ tertianæ, ob rationem victus, & alias, quæ desiderantur, conditiones, rarissimus sit affectus; si tamen fortè fortuna contingat aliquem hac febre, licet impuriore, quadántenus prehendi, huic phlebotomiam non iniuria profuturam arbitramur, ratione saltem causæ antecedentis, ne, scilicet, sanguis tenuiori parte sui per ardorem febrilē bileścat, præsertim cum venæ sectio (quemadmodum liquet ex valesio lib 7 contro. c. 2) multiplex sit remedium, & quotidiana testetur experientia, sanguinis missionem tempestiuè factam, plurimùm prodesse, ac

morbum sæpè radicitus extirpare. Vbi ventriculus igitur, & primę venæ à medicamento sunt depuratæ, aut si quidem illuuiei (vt in temperatis, multò minùs calidioribus regionibus) nulla extãt indicia, statim per initia febris, tamen extra paroxysmum, vel cũ ægri vires robustiores sunt, horis minimũ 4. aut 5. priùsquàm accessio fiat, vena secoraria dextra, aut Cõmunis, aperietur. Quibus autem illud, impediente vel ætate, vel viribus, facere non permittitur, his vicaria esse potest scarificatio.

Tertiana intermittens spuria.

8. ℂ In tertiana intermittente notha, seu, spuria, vbi ventriculus, & intestina, repurgata quadamtenus fuerint, non repugnante vel ætate, vel virtute, vena secabitur.

Quotidiana continua.

9. ℂ In febre quotidiana continua, si prima corporis regio nihil sordium contineat, adeòq; depuratione haud indigeat, statim, prætermissis alijs omnibus, vena secandi debet. Inde ad pręparandã, & concoquendam, materiam morbi accingemur.

Quotidiana intermittens.

10. ℂ In febre quotidiana intermittente, phlebothomia rarissimè habet locum; nisi venæ fuerint crassiores, ac sanguine turgeant.

Epiala febris.

11. ℂ In febre epiala, abstinendum phlebotoḿ

botomiâ: non enim, vita superstite, tanta vis vnquam frigoris corpori inest, quæ multam congerere posit.

12. Lipyria Græcis (febris est, in qua, au-ctore Galeno, propter magnitudinem in-ternæ inflammationis, & malignum humo-rem, interna ardent, externa refrigerantur) primùm quidem phlebotomiâ, deinde re-frigerantium vsu, curari debet.

Lipyria febris.

13. ¶ In febre diurna, & nocturna (ea dicitur, quæ de die incipit, finitur noctu: & nocturna contra, quæ noctu inuadit, & in-terdiu desinit; ac debet vtraq; originem suam pituitæ) rarissimè venæ inciduntur; nisi turgeant venæ, sintq; admodum crassæ.

Diurna & nocturna febris.

14. ¶ In quartana continua, primò le-nitâ aluo ex iniecto enemate, aut assumptâ cassiâ fistulâ, vena (nisi quid prohibeat, si-nistri brachij iecoraria secabitur.

Quartana continua.

15. ¶ In quartana intermittente, si san-guis copiosior esse videatur, vna ante ac-cessionem die, non tantùm in principio, sed augmento etiam morbi, vena ampliori foramine cædenda erit; eaq; Basilica sini-stri brachij; & si sanguis crassior, nigriorq; prodeat, copiosè sinendus est fluere: si ve-ro flauus, ac tenuis, statim supprimi debet. Prodest etiã liberalior sanguinis missio ipsa

Quartana intermittens.

qui sanguine nigro, & crasso scatent. Hæmorrhoidum apertio, adhibitis sanguisugis, vel, (quod alijs magis placet) scalpello facta, adeò vtilis est, vt vel sola morbum quandoque soluerit. Conuenientior quoque erit ijs, quibus mariscæ, priùs fluere solitæ, iam substitêre. Huc pertinet sectio venæ manus sinistræ, quæ medium & annularem digitos interiacet, in ipso interlunij puncto (nisi tempus id in paroxysmum incidat) facta; nam sæpè præsentem opem attulit. Satiùs verò erit ante hanc venæ sectionem, corpus vtcunque à melancholico recremento repurgatum esse: quod nihilominus facto est opus, tametsi phlebotomia prætermittatur.

Hemitritæus febris.

16. ℂ In hemitritæo, aut semitertiana (cuius vniuersa curatio à tertianæ spuriæ therapeia parùm discrepat) initio leni clystere præmisso, vena secabitur.

Cardiaca febris.

17. ℂ In febre Cardiaca, initio sanguis detrahendus est, causa subtrahendæ inflãmationis.

Ex cruditate febris.

18. ℂ In febre ex cruditate phlebotomia nunquam imperanda; nisi color faciẽi leuiter rubeat, pulsus sit mediocriter magnus, & vehemens, nec ita inæqualis, vrinæ quoque meliùs colorentur. Hinc enim conica-

conijcimus, frugi sanguinem superiorem esse cruditate. Itaq; aperiatur Basilica; angusto foramine; ac modica quantitate Sanguis detrahatur. Exibit primùm sanguis tenuis, subalbidus: at simul atq; cæperit fluere magis rubeus, vena claudatur. Neq; tamen perpetuo expectanda est sanguinis mutatio. Sed interim, dum exit sanguis, vires è pulsu, & alijs (de quibus paulò inferiùs dicetur) recognoscendæ sunt.

PRÆTERMISSA his, extra ordinem, apponuntur.

1. *IN vitiliginis rubræ (quæ etiam dicitur gutta rosæ) præseruatione, purgationem præcedat missio sanguinis; ex vena Cephalica. In curatione verò eiusdem guttæ rosæ, euacuatio fiet per sectionem venarum frontis, & narium.* Vitiligo rubra. Curatio guttæ rosæ.

2. ¶ *Inflammationes, quæ vel axillas, vel humeros malè habent, nisi ad brachij flexum pertingant, interiore eiusdem lateris secta, reuellendo, deriuandoq; confert. quum autē eò peruenietur, quoniā partem inflammatione obsessam sectione proritare tutum non est, manus è directo aperienda est vena.* Inflammatio axillarum & humerorum.

Cachexia.

3. ¶ Cachexiæ, id est, malo corporis habitui, Aetij, & Pauli præcepto, succurrendum est venæ sectione, si nihil prohibeat; quæ paulatim, nec vnica vice, fieri debet; ac parum sanguinis pro vice extrahendum. Quare si orta sit cachexia ex suppressis hæmorrhoidibus in viris, vel ex mensibus in mulieribus; stante multitudine, primò ex Basilica, vel Communi dextri cubiti, sanguis mittetur: mox viris hirudines in venis sedis apponentur: mulieribus autem Saphena dextri pedis vtiliter incidetur. Nimiâ verò aquositate, ac crudis multis succis apparentibus, à venæ sectione abstinendum; ac ad pharmaciam transeundum.

Conceptio.

4. ¶ Conceptum prohibet vena secta in poplite, vel pede. Idem faciunt menstrua prouocata. At hæc nisi honestis, & periclitantibus fœminis (iisq; ante octauum ad summũ diem, non amplius) conferenda non sunt: ne famosis, & inhonestis, impudicitiæ tegendæ gratia, scortis, ars hæc nobilissima lenocinari videatur.

Suppressis mensibus cum inflammatione.

5. ¶ Vnà cum suppressis mensibus si qua inflammatio subest, per initia sursum retrahetur, idq; directò; illinc quippe, tanquam è fonte, plenior fluxio irruebat. Nec est, quòd in suppressione mensium vereare: si etiam statim venam, in poplitem, aut malleolum directam, ferire iubeas, quæ illorum euacuationi, deriuationiq; paratum, & expeditum est præsidium. At si quis temerè hoc ab initio attentet, fluxionis impetum, inflam-

mation

mationemq; augebit. REuulsio enim, quæ fit secta interiore cubiti vena, quia iecur fontem ipsum, è quo fluxionis exordium est, exhaurit, vniuersalis censetur: quæ verò ex venis inferioribus fit, particularis, neq; fontem primariò euacuat. Cùm itaq; vniuersalia particularibus sint præmittenda, inflammationes, quæ subter renes incurrent, primùm reuellendæ sunt, præcisâ interiore cubiti vena directa, deinde reseratis inferioribus, quæ aliquam etiam reuellendi vim obtinent. Has tamen tutum minimè sit primas ferire; maximè si ingens est vasorum plenitudo, fluxionisq; incursio vehemens.

6 ¶ In inflammatione crurum, quoties ingens est plenitudo, effrænataq; fluxionis vis, & incursio, ex cubito sanguis primùm, mox ex crure, vel pede fundetur. Sin leuior existet inflammatio, neq; plenitudo extra modum increuerit, superiorum venarum sectionibus præmissis, satis superq; erunt, quæ ex inferis obeuntur. *Inflammatio crurum.*

7. ¶ Pars cuius vasa facilè rumpuntur, aut diducuntur, aut illabentem fluxionem promptè excipit, exinanienda est non per venam finitimam, quum nihil morbi adhuc genitum sit, sed per venam quàm longissimè è directo disiunctam, quæ & futuram fluxionem inhibeat, & eius solitum impetum in diuersam regionem incitet. *Ruptio vasorum partis alicuius.*

8. ¶ Plenitudo ex suppressis mensibus si con- *Plethora*

gnen.

ex mensibus suppressis. augmentata est, quisquis morbus impendebit, congruenter propulsabitur inferarum sectione, quæ dum vacuant, menses pariter exciunt, ipsumq; mali causam exterminant.

Plenitudo ex cohibitis hæmorrhoidibus. 9. ℂ Vbi verò ex longa consuetudine fluentes hæmorrhoides cohibentur, plenitudinemq; inuehunt, si quidem has euocare consilium est, ex inferioribus plenitudo haurietur: sin illas ægrotus obcæcare requirat, neq; velit posthac illis obnoxius haberi, plenitudo ex superioribus erit detrahenda.

Plenitudo ex alijs causis dictis exceptis. 10 ℂ Quæcunq; autem alijs ex causis nata plethora morbos minitatur, eos inhibebit omnes secta iecoraria in flexu cubiti dextri.

Hactenus in specie, quæ vena in quouis morbo secanda, dictum. Sed quia nimis longũ esset, imò infinitum, id ipsum per omnes, & singulas morborum species indicasse; regulas quasdam subijcere placuit, quæ generatim propositum declarent, id est, quæ tàm in dictis, quàm dicendis morbis venam incidendam citra omnem difficultatem inuestigare doceant.

CAPVT XXXII.

Quemodo inuestigetur secanda vena in quolibet affectu.

Regulæ generales, per quas inuestigatur vena in quouis morbo secanda.

Pleni-

1. PLenitudo, cui nullius partis affectio asſiſtit, qualibet ex vena indiſcriminatim detrahitur: commodiſsimè tamen ex interiore cubiti dextri: quia à magna vena plurimum, & à iecore validiſsimè proiicit. Plethora biliosa ex dextri itidem; Melancholica è ſiniſtri cubiti interiore vena: ita enim efflagitat viſcerum ſitus. Quæ lex in therapeia quoq; febrium ſeruanda. — Regula. 1.

2. ¶ Ex partibus, quæ ſupra clauiculas ſunt, perſpicuè reuellit, & vacuat, inciſa vena humeraria; celeriùs ac validiùs in cubito; tardiùs verò & ſegniùs in eo manus ramo, qui inter pollicem & indicẽ excurrit. — 2.

3. ¶ Ex his verò, quæ inter clauiculas & renes poſitæ ſunt, reuellit ſecta interior; celeriùs, & maiore ui, in cubito; tardius verò, & ſegniùs, in manus ramo, qui inter annularem & minimum digitum porrigitur. — 3.

4. ¶ Ex vtriſq; reuellit Media: ſiquidẽ ex communibus illa humerariæ & interioris ramis conflata eſt. — 4.

5. ¶ Subter renes, in quacunq; parte inhæreſcet affectus, ſecta poplitis vena maiore tum impetu, tum celeritate, reuellitur; lentiùs verò, & infirmiùs ſectã in Malleolo Saphena. — 5.

6. Renes ancipites ſunt medij inter ſupe- — 6.

riora inferioraq; interiecti. Situm definio non ex partis ordine, sed ex ortu, & productione venæ, quæ in partem emittitur. Itaq; inflammatio, quæ rectos abdominis musculos supra vmbilicum inuaserit, retrahetur aperta inferiore venâ: quæ verò colum intestinum prehenderit, quamuis subter renes sit, reuelletur secta interiore cubiti: ita enim venarum origines, deriuationesq; commonstrant. *Quemadmodum hæc euidenter patuerunt in specie; dum singulos vniuscuiusq; partis morbos persequebamur. Sed ita visum fuit illa multa dicta, dicendaq; etiam in pauca contraxisse.*

CAPVT XXXIII.

An spontanea sanguinis eruptio venæ sectionem prohibeat.

I. SAnguis solet fluere è naribus, hæmorrhoide, ac vtero sponte: ex ore verò tussi, aut vomitione: ex alia corporis parte rarissimè, idq; contra naturam. itaq; ex quocunq; horum locorum sanguis sponte, at non ex ratione, profunditur, non eam dissuadet

ſuadet venæ inciſionem, quam ratio vſusq́; poſtulat

2. ¶ Fluit autem, vel lentè, parcèq́;, & nihil iuuat, ex quacunq́; parte dictarum, etiam ſecundùm naturam, id fiat: quippe parua excretio non facit criſim. quare phlebotomiam non dehortatur.

3. ¶ Vel liberaliter, & copioſè emanat, ac is quoq; interdum commodo eſt, interdum minimè. in plethora equidem grauãte, & ſynocho febre, affatim copioſèq; eductus, conducit: vt quam decretorio die ſæpenumerò ſoluit: etenim vniuerſale malũ cum ſit in omnibus venis, ex quacunq́; corporis particula ſanguinem detrahas, grauitatis, plenitudinisq; ſymptomata neceſſe eſt cedere.

4. ¶ Verùm in cauſo, omniq́; ardente, in qua iam alij humores in vaſis putreſiunt, ſanguis vbertim etiã, & copioſè excurrens, non æquè vtilis eſt, ſiue è naribus, ſiue vterò, ſiue hæmorrhoide, profluat; omnium ratio reddenda.

5. ¶ E naribus qui elabitur, quamuis non pauca ſymptomata, vt dolorem capitis, vigilias, deliria, demulceat, non tamen cauſam morbi proximam tollit; niſi fortè immoderatiùs proſiliat. at hæc eſſet magna

virium iactura, nemini optanda: Vitioſus enim ſanguis magna parte vtilioris pulſa, vltimus egreditur. igitur vena cubiti aperienda: narium enim ſanguine laudabili fluente, non rarò cubiti impurum notare licuit.

6. ¶ Ex vtero autem in iiſdem morbis, qui copioſè educitur, cum proximè è caua lumborum vena exeat, vtilior quidem, ſed radicem in venis, cordi cohærentem minimè euellit: ideò frequenter currentibus menſibus, & puerperis quæ probè purgantur, ob febris ardorem (quamuis parciùs) vena cubiti incidetur.

7. ¶ Eadem quoq;, ac etiam euidentior eſt aliquando ratio demendi ſanguinis è vena cubiti, erumpente hęmorrhoide.

8. ¶ Iam verò partium inflammatio, cæteriq; affectus, quos ſupra hepar, & diaphragma naſci contingit, parùm, aut ferrè nihil ſanguine ex vtero, aut hemorrhoide emiſſo, iuuantur.

9. ¶ Nec qui inferiores ſedes inuaſêre, eo dimanante è naribus.

10. ¶ Prout quoq; nec è nare dextra profuſus morbos curat ſiniſtros: & viceuerſa.

CAPVT XXXIV.

Scopi, seu causæ, seu animaduersiones mittendi sanguinis quot.

1. MEdicus in phlebotomia, vt rectè vsus eiꝰ ineatur, duodecim præcipuè notare debet; quæ rectè à Medicis scopi, seu animaduersiones, seu causæ nominantur. Scopi quidem: quòd in illis venam aperire volentes, intentos esse, & eò vniuersa sua consilia dirigere, oporteat. Animaduersiones verò: quia his non animaduersis, qui venæ sectione morbum demit, frequenter vnà cum morbo ægrum de medio tollit. Causæ deniq; nuncupantur: quia ex ijs semper nobis, non tantùm quando sit mitttendus sanguis, verùm etiam quantum ipsius sit detrahendum, elucet.

2. ¶ Sunt itaq; hi scopi mittendi sanguinis duplicis generis: Primarij, & secundarij. Primarij, seu præcipui sunt duo: Morbi magnitudo, & virium robur. Secundarij seu scopi, seu causæ, sunt decem. Quarū tres interiores, & nobis congenitæ dicuntur: Temperamentū; Corporis Constitutio, seu Ha-

Scopi mittendi sāguinis duplices. Primarii scopi 2. Secundarii scopi 10.

seu Habitus; & Aetas. Externæ, & aduentitiæ septem: Regio; Anni tempora; Tempestas; Spontanea vacuatio; genus vitæ, seu victus præcedens; Consuetudo; Exercitia.

3 ℭ Hæc igitur omnia adamussim, quã breuissimè complecti est animus, ne quid ad sanguinis missionem ritè celebrandam in Praxi hac nostra phlebotomiæ desideres.

CAPVT XXXV.

Vt vacuandi quantitas ex morbi magnitudine æstimari debeat.

Primus scopus, Magnitudo morbi. Ex se morbus 4 modis dicitur

I. MOrbus (siue factus iam, siue incipiens, siue impendens) magnus dicitur aut ex se, aut ex sua causa, aut ex symptomate.

2. ℭ Ex se magnum dici contingit quatuor modis. Primò enim ex suo genere grauis, vehemensq; nuncupatur morbus: nam inflammatio cuiuscunq; sit loci, grauior habetur, quàm eiusdem simplex intemperies. Secundò ex vsu, ac nobilitate, partis: vt, si est princeps membrum, quale cerebrum, cor,

cor, hepar: aut si contra, inter partes abiectas, & ignobiles censetur. Tertiò ex situ: Aliæ siquidem principibus vicinæ sunt: vt, pulmo, latera, stomachus, splen. Aliæ longiùs distant; vt renes, vesica, intestina. Vltimò ex partis sensu; qui aut est acutus, aut hebes.

3 ¶ Causæ magnitudo, ex humoris (qui in laborante parte accumulatus est, & continentem facit morbi materiam) naturâ (id est, quòd sit benignus, vel malign9, isq; multus, aut paucus) spectari solet; quod tribus modis accidit: primò enim ex sua continēte causa, quæ in humoribus consistit, morbi magnitudo indicatur. Secundò ex valorū, & viscerum, ac totius corporis multitudine, aut etiam exhaustione, antecedentis causæ magnitudo inuestigatur. Tertiò ex humorum inibi contentorum synceritate, aut vitio.

Ex suæ causæ natura morbus trib9 modis magnus dicitur.

4. ¶ Symptomatis alicuius magnitudo, ex sæuitia, vel remissione eorum, quæ incurrunt, deprehenditur: vt, languenti appetentiâ, dolore, insomnijs, reliquisq; vires attenuantibus, ac infringentibus.

Symptomatis magnitudo, ex quo deprehendatur

5. ¶ Igitur si prauum aliquod morbi genus, qualis phlegmone, cerebrum, cor, ietur; aut partes his principibus affinitate iunctas

Magnus morbus qui.

iunctis inuaſerit, cuius vis latè ſit diffuſa, atq; humor ſit putridus, vel pernicioſa quãtitate contaminatus; ac eo inſuper corporis vaſa conferta deprehendãtur, adeò, vt hinc magna excitentur ſymptomata: vt, corporis iactatio, inappetentia, ſitis, dolor acerbus, vigiliæ, is omnino in grauiſsimorum affectuum numero reponetur, isq; maximã, & copioſiſsimam, eamq; neceſſariam, expoſcit vacuationem; ſinè qua aut nullo modo, aut non tutò, ſanari poteſt.

Paruus morbus qui.

6. ¶ In quo autem morbo diuerſa conſpiciuntur omnia, exiguus iudicandus eſt: proinde exiguæ etiam, aut nullius omnino vacuationis indiget.

Medii morbi qui.

7. ¶ Qui inter hos interiecti ſunt medij ordines, ijs pro maioris, vel minoris ratione, larga vel parca vacuatio accommodabitur: quæ hic rarò neceſsaria, ſed duntaxat vtilis habetur; per quam citiùs, ac tutiùs ſanatio perficitur.

CAPVT. XXXVI.

Vt vacuandi quantitas ex virium robore æſtimati debeat.

I. Facul-

1. FAcultates, ſiue vires corporis, aliæ ſingulis partibus inſitæ ac ingenera tæ, aliæ verò communes, influenteſue ſunt.

Facultates quot tuplices.

2. ℭ Inſitarum virium, atq; innati calidi, vna, eademq; eſt eſſentia (quæ natura nuncupatur) & ex innato ſpiritu, humidoq; naturali, conflatur, cui ſolida partium ſubſtā-tia, tanquam materia, ſubſternitur.

Per naturam quid intelligamus.

3. ℭ Vagarum autem, ſeu influentium, eſſentia, tribus ex fontibus, triplicią; ſpiritu totum in corpus diffunditur: animalis quidem è cerebro, per neruos; vitalis è corde, per arterias; naturalis è iecore, per venas, dimanat.

Vagarum virium propriæ ſedes.

4. ℭ Ab his influentibus, vires partibus ſingulis inſitæ, atq; ingenitæ, ſuſtinentur, totum verò animal ab vtriſq; regitur, ac gubernatur.

Vires ſuſtinent, & regunt.

5. ℭ Vnde ſi integrá ſanitate frui debet animal, vtraſq;, id eſt, tam inſitas, quàm influentes, illæſas, & ſaluas eſſe neceſſe eſt.

Quales vires tale animal.

6. ℭ Quod erit, ſi earum ſubſtantia æquabili, ac iuſta quadam moderatione, cōſiſtat; quæ in certa quantitate, atq; proba temperie poſita eſt.

Vires integras quæ indicent.

7. ℭ E cōtrario autem, ſi ſubſtantia, aut quantitas, aut qualitas inuertatur, illæ neceſſariò iacturam facient, aut imbecilliores euadent; vnde earum functiones oblædē-

Vires imbecillas quæ arguant.

tur, ac totius animalis gubernatio contur-babitur, vitæq; demum consequetur euersio.

Sic igitur tàm validæ, quàm imbecillæ vires ex substantiæ commoderatione primò internosci debent.

Naturalis facultatis notæ.

8. ℭ Vrinæ, vel alui excrementa tenuia, & aquosa, aut carnis loturæ similia, naturalis facultatis imbecillitatem arguunt; hoc idem retentio excrementorum, & alia quæuis oblæsa functio, commonstrat.

Vitalis facultatis indicia.

9. ℭ Vitalis facultas ex pulsu paruo, languido, obscuro; similiter ex respiratione parua, difficili, crebra; ex voce exili, & languida, quæ non pulmonũ, aut pectoris vitio oborta sit, debilis obseruatur: horum contraria firmitudinem, & robur, indicant.

Animalis facultatis signa.

10. ℭ Animalem facultatem imbecillam docent, motus, & sensuum, læsio, vigiliæ, deliria, aliæq; principes actiones perturbatæ: quemadmodum contraria, robur, ac firmitudinem demonstrant.

Ex ijs ergo functionibus facultates lædi discimus.

Vires bifariã læduntur.

11. ℭ Læduntur verò, ac imbecillæ animaduertuntur bifariam: aut enim fiunt oppressæ, aut languidæ.

12. ℭ In omni porrò euacuatione maxime

ximè refert, languidas ab oppresſis digno-ſcere; nam hæ largam, illæ nullam vacua-tionem patiuntur.

13. Quarum dignotio ex cauſis euidentib9 peti debet: quæ ſi eiuſmodi præceſſère, quæ virium ſubſtantiam aut mutant, aut diſsipant, verè imbecillas eſſe: ſi nullæ e-iuſmodi deprehenſæ ſunt, & aliæ ſuo pon-dere vrgent, opprimi duntaxat ſcito.

Vires lãguidæ ab oppreſsis vt internoſcẽdæ.

14. ℂ Externæ cauſæ, & euidentes, qui-bus ingenitarum virium temperies immu-tatur, ſunt febres acutiſsimæ, quæ corpus colliquant, & omnes cauſæ vehementio-res, quæcunque partes ſolidas immodicè ca-lefaciunt, refrigerant, humectant, ſiccant.

Ingenitarum virium temperiem quæ immutent.

15. ℂ At illarum ſubſtantia conſumitur, atque diſsipatur in morbis longiſsimis; qui hominem in atrophiam, vel tabem conij-ciunt.

Virium inſitarũ ſubſtantiamquæ abſumãt.

16. ℂ Vagarum autem, ſeu communium virium triplex ſpiritus commutatur, tum ex ambientis, & rerum quarumlibet inuaden-tium intemperie, aut venenata qualitate, tum ex viſcerum, aut humorum corruptis qualitatibus.

Vagarũ viriũ ſpirit9 quæ immutent.

17. ℂ Aeris quippe feruor, æſtusque, non tantùm quà nos extrinſecus ambit, verùm e-tiam quà intrò reſpiratione attrahitur, pul-

Aer debilitat vires.

mones primò, deinde cor, omnesq; spiritus eousq; inflammat, dum plerunq; febris incendatur, ex qua spiritus intemperie necessitas est vires imbecillæ, languidæq; efficiantur. Adde, per eum feruorem spiritus non modò temperiei mutationem subire, sed etiam dissipatione minuj.

Frigus calorem aliás infringit, alias extinguit.

18. ¶ Frigoris contra immoderata vis foris incidens, introq; subiens, aliàs spiritũ, omnemq; calorem infringit, ac debilitat, aliàs omnino extinguit.

Aer pestilens, aut venenatus spiritus labefactat.

19. ¶ Aer dum vel pestilens, vel quodpiã venenatum aliud vitium conceperit, haustus, tractusq;, contagione nostros etiam spiritus labefactat; ex quo grauium morborum in corpus inuasio, viriumq; non mediocris iactura.

Ictus scorpii, & morsus canis rabidi spiritus nostros inficit.

20. ¶ Multò quidẽ euidentiùs vel scorpij, vel rabidi canis, vel alterius venenatæ bestiæ morsu acceptum virus spiritum polluit, ac inficit.

Interiores causæ spiritus immutant.

21. ¶ Porrò etiam interiores, & abstrusæ causæ spiritus immutare consueuerunt: quippe vbi principes corporis partes intẽperie aliquapiam cõflictabuntur, eadem si longiùs serpat, necessariò ad spiritus indidem ortos, dimanabit, roburq; virium cõminuet.

Quod-

22. ¶ Quodcunq; etiam humoris vitiũ in corpore dominetur, ex eius intemperie grauem offensionem spiritus excipiant oportet: crudorum enim humorum vi, qui aut corpus vniuersum, aut ventriculũ, maximéq; os eius, obsederint, necesse est tum caloris, tum spiritus substantia refrigescat, & infringatur, animalq; prorsus languescat, interdum verò &, syncope prehensum, corruat. Bilis ardentior calore immodico spiritus cremans, aut os ventriculi vellicans, & quasi aculeis compungens, haud leuiorum malorum fit causa.

Humores vitiosi offendunt spiritus.

23. ¶ Est & cum humor aliquis veneni labe, & pernicie, aspergitur, cuiusmodi est retentum, putrescensq; semen, aut menstruum, aut grumus sanguinis, cuius vapor spiritum labefactans, & inficiens, nunc syncopen, nunc vteri strangulatum, nunc epilepsiã, nunc alia incommoda solet inferre viribus supra modũ offensis. Tot ergo, tantisq; modis spiritꝰ à sua temperie deiciscũt.

Humor aliquis veneni labe infectus vires offendit.

24. ¶ Eorum porrò viriumq; substantia imminuitur, atq; dissipatur quandoq; sponte: quia tenuis, & dissolubilis in corpore calido, raro, molli, laxoq; concluditur, vt proinde suopte impetu disperdatur.

Substantia viriũ, spirituumq; interdum sponte dissipatur.

25. ¶ Nonnunquam verò externarum,

Interdũ externæ causæ premunt vires.

& euidentium causarum occursatione premitur, quales sunt, ambiens aer feruidior & siccior, vacuatio immodica, motio vehemens, animi pathemata, dolor & vigiliæ.

Immodica excretio inutilium vires elidit.

26. ¶ Immodica humoris, aut etiam inutilis excrementi euacuatio hoc ipso, quòd spiritus substantia fusa, atq; profluens est, non potest non bonam illius partẽ è corpore secum abripere. Quocirca siue aluus nimiopere, aut natura aut arte, profluit: siue vrina plus æquo profunditur, vt in diabete: siue pus, aut aqua ex thorace, stomacho, ventre inferiore: vel ex magno quopiam abscessu vniuersè, & affatim prorumpit, necessitas est grauem virium iacturam faciant.

Nimia vacuatio vtilis humoris vires conuellit.

27. ¶ Multò autem certiùs, & clariùs nimia sanguinis, aut salutaris humoris vacuatio spiritus effundit, viresq; conuellit, siue is ex vulnere, siue ex naribus, siue ex ore, siue ex mariscis, siue ex vtero, aut aliunde prosiliat.

Inedia vires infringit.

28. ¶ Eodem modo inedia vires corporis infringit: quòd per hanc vtili corporis alimento dissipato, aliud non succedit, quo fit, vt corporis robur omne corruat.

Labor ex

29. ¶ Labor, & æstus, spiritus, calorisq;

substantiam halitu, ac sudore disperdunt. Quare qui vitæ suæ cursum in labore, aut circa balneas, & fornaces, consumunt, cùm eorum substantia continenter difluat, minus excrementorum accumulant, quàm ij qui inertem, & ociosam traducunt vitam.

æstus vires disperdunt.

30. ℭ Qui luxuriâ, & effrænata libidine difluunt, *his (vt ait Poeta) frigent effœtæ in corpore vires*, quæ nullius medicinæ vim perferunt; hi omnium maximè ex tantula seminis vacuatione flaccescunt, & languent: quòd spiritus plurimum dissipetur.

Libido prosternit vires.

31. ℭ Doloris verò atrocitas multò magis quàm labor spiritus disperdit, ac vires prosternit.

Dolor vires prosternit.

32. ℭ Animi pathemata, seu affectus, alij quidem spiritus, & calorem, obruunt, & suffocant: vt, mœstitia, timor: alij verò dissoluunt, atque disperdunt: vt, gaudium, lætitia.

Affectus animi alij obruunt alij dissoluunt vires.

33. ℭ Vigiliæ corpus vniuersum, maximè verò eius animalem spiritum, exinaniunt: quemadmodum somnus omne vacuationis genus, exceptis sudoribus, inhibet.

Vigiliæ vires exinaniunt.

Atque hæ sunt causæ, quarum excessus calorem, spiritum, viresque dissipat, ac disijcit; quæ cùm euidentes sint, tanquam notæ, & signa fiunt, ex quibus vires propriæ substan-

tiæ illa

tiæ iacturam feciſſe intelligere poſsimus.

Vires quæ opprimant.

34. ¶ Cauſæ verò, quæ tantùm vires opprimunt, interiores ſunt, & abſtruſæ, neq; adeò nobis expoſitæ: ex eo genere ſunt obſtructio, & immoderata humorum copia.

Obſtructio venarum, & arteriárum vires opprimit.

35. ¶ Venarum, & arteriarum oppillatio, cuius craſsi, ac lenti humores cauſam præbent, ſpiritus arctè coercet, nec illos ventilatione refrigerari ſinit, vnde præpedito vitæ vſu, neceſsitas eſt grauiter, vnà cum ingenito calore, opprimantur. Id autem in pulmone, iecore, cerebri ventriculis, necnon arterijs, in ipſo demum corporis habitu frequenter, ac multùm contingere ſolet.

Obſtructio ab humoribus vires ſuffocat

36 ¶ Obſtructio verò, quam humores nimio plus laſciuientes inuexerunt, non modò ſpiritum, caloremq; premit, ſed etiā opprimit, & ſuffocat.

Plethora vires ſuffocat.

37. ¶ At plenitudo libera, nec vlla oppillatione impedita, ſiue ſimplex eſt, ſiue cacochymiæ particeps, vires ſuffocat, vt in athletico habitu ſanguinis, in leucophlegmatia pituitæ, in hydrope cruditatis, in ictero bilis exuperantia.

Vires diminutæ ab oppreſſis vt internoſcātur.

38. ¶ Quotieſcunq; igitur facultas naturalis ab excrementis, vitalis ex pulſu, & reſpiratione, animalis ex proprijs functionibus imbecilla comparebit, ſi qua cauſarum illarum

illarum procatarcticarum, id est, foris incidentium, vehementior precesserit, direptam, ac imminutam scito esse virium substantiam: vbi verò nulla causarum illarum antecessit, & vires nihilominus imbecillæ deprehendentur, non vtiq; disperditas, at oppressas cēseto, præsertim si plethoræ, aut cacochymiæ multæ signa sese adiunxerint.

Vacuatio reficit oppressas vires.

39. ❡ Remotis causis opprimentibus, ilico vires reficiuntur, & recolliguntur; nisi affectionis diuturnitate iam sint prostratæ. Quapropter affectarum virium tres ordines sunto: Prostratæ, Grauatæ, & Languidæ, quarum notæ sigillatim ex priùs dictis innotuēre. Itaq; validis, constantibusq; viribus fidenter erit vacuandū; minus validis parciùs; prostratis nihil omnino tentandū.

Viriū affectarum 3. ordines.

Vacuatio non omnibus cōuenit.

40. ❡ Reperiuntur, qui soli pulsui, tanquam signo minimè mendaci, iubent attentos esse, de virium robore iudicaturos. Id profectò magnum quippiam esse iudico, at nondum sufficiens: quippe pulsus ferè inconstans est, cùm externarum plurimarum rerum interuentu perturbetur, ac mutationem subeat. Adhæc, copiosa euacuatio interdū alias vires non minùs quàm vitalē concutit, ac earum occasu nōn aliter morimur, ac si vitalis intercideret: quare ali-

Non ex solo pulsu iudicādum de viribus.

arum quoque facultatumad euacuandum videtur esse necessaria obseruatio: si quis enim vehementi, ac longo morbo, vt lienteria, atrophia, marasmo, extabuit, huic venam non secabis, quamuis pulsus plenus nunc existat, & validus. Itaque non vnius, sed trium communium, & influentium facultatum, ac neque harum tantùm, sed etiam insitarum, seu ingeneratarũ, ex quibus actio vitæ constat, continetúrque, robur ad vacuationem æstimari debet.

Ex quibus robur ad vacuandum æstimari debeat.

CAPVT XXXVII.

Vt vacuandi quantitas ex morbi magnitudine, & simul virium robore æstimari debeat.

Vacuandum viribus illæsis.

1. MOrbus omnis patientis vires debilitat, vt & vacuatio, quæ ad illius remotionem suscipitur. Ne itaque afflicto videamur addere afflictionem, ea conditione moderanda sunt cuncta, vt morbi substantia tollatur, viribus, quàm possibile est, minimè læsis.

Vacuati-

2. ¶ Aequa itaque, & legitima vacuationis

nis quantitas, citra insignem virium offensionem morbum adimit: Hoc morbi, viriumq; inter se exquisita collatio docet.

o æqua, quæ non offendit.

4. ¶ Cæterùm, vt dum id assequi nitimur, omnis difficultas cedat, quædam præmittenda, qualia sunt, vacuationum quantitatis, morborum, & virium, gradus.

Collatio morbi viriumq; inter se, docet legitimè vacuare.

5. ¶ Vacuationū igitur alia integra statuitur, ac perfectè absoluta, quæ si non omnem, at certè plurimam morbi materiā tollit. Alia vtilis quidem, sed non perfecta, quæ parte morbi adempta, quod remanet, facit leuius. Tertia eousq; modica, & exigua, vt nihil ægrum leuet.

Vacuatio triplex.

6. ¶ Proximè superiori capite dictum iam, vires alias esse validas, ac firmas; alias minùs validas; alias prostratas. Superiùs quoq; diximꝰ morbos alios esse acutissimos, alios leues, alios mediocres.

Vires triplices.
Morbus triplex.

7. ¶ Iam morbi magnitudo robori virium conferatur. Quum itaq; vires erunt constantes, ac firmæ, morbus verò mediocris, non vtiq; necessaria, sed duntaxat vtilis censetur phlebotomia: potest tamen tutò, & quantum morbus postulat, sanguis mitti: non enim timendum est firmas, ac constantes vires, aliquantisper imminuere, dum morbi sentina funditus exhauriatur, quippe eæ promptè, nullâq; morâ recreantur.

Morbi magnitudo virium robori collata docet legitimè vacuare.

Magnis morbis & viribus vberior debetur vacuatio

8. ¶ Cum in virium integritate, ac constantia, morbus euadet magnus, ac periculosus, qui vasa immoderatiore copia distendat, vt in habitu athletico, febribus synochis, tunc vberior præscribenda vacuatio, quæ affectus magnitudini vsquequaq; respondeat, expeditq; (auctore Hippocrate) vsq; ad animi defectionem ducere, si æger perferre posit.

Medio-cris morbus & vires mediocrē vacuationē volunt.

9. ¶ Mediocres porrò vires, si mediocris morbus inuasit, moderatam vacuationem desiderant, quæ leui, aut modica virium lesionæ totam causam extrahat. Atq; vtilis etiam ea fuerit, quæ leuior, mitiorq; accommodabitur.

Exiguis viribus, morbo vero magno partita vacuatio conuenit.

10. ¶ At si exiguas vires magnus morbus inuaserit, & qui multam vacuationem requisiuerit, nullo modo debet ea semel, & vniuersè suscipi, vt quam vires ferre haud posint. Quum igitur semel, & vniuersè facta vacuatio, citra periculum vacuare nequit, quod est in vitio, paulatim vacuare expedit, & minutatim salubre quippiā pro eo reponere; ac primò quantum vires ferant detrahere, deinde quod defuit iteratione supplere; idq; bis, vel ter, vel aliquando sæpius.

Prostra-

11. ¶ Prostratis autem viribus, nulla vel morbo

morbo postulante, vacuatio molienda: Enimuerò quæ adeò exigua fuerit, vt viribus illis quasi dimensa, & par respondeat, cùm vtilitatis nihil, incommodi verò, atq; perturbationis, plurimum inferrat, tanquã inutilis, & superuacanea, abijciatur. Ac in viribus roborandis omne studium collocetur, idq; cibis euchymis, modicè, sæpiusq; porrigendis; quibus etiã insit facultas morbum oppugnans; quæ cacochymiam corrigat. Quòd si postea vires recreatas, ac refocillatas, & iam quasi recuperatas videris, tum commodã inibis vacuationem; quod in diuturnis morbis frequenter vsuuenit, in acutis mora semper anceps est, & periculi plena.

tis viribus, in magno morbo nulla vacuatio molienda

Dubitatio.

P*Aulò superiùs cap: 36. num: 8 diximus, Magnis morbis & viribus præscribendam esse vacuationem, quæ affectus magnitudini vsquequaq; respondeat. Sed & Hippocrates ipse expedire ait* vsque ad animi defectionem ducere, si æger perferre possit. *Itaq; non temerè hîc dubitabit quispiam, Vtrum liceat mittere sanguinem vsq; ad animi deliquium? Quod dubium prisquàm soluamus, supponendum, per animi defectum, seu, deliquium, non intelligi hîc*

Dubitatio.

illud, quod ex timore, & apprehensione phlebotomiæ solet ante, aut paulò post incisionem venæ, contingere.

Neque illud, quod à cardialgia, seu ventriculi morsu, ex bile mordaci excitatur; verùm id quod consequitur largam, & copiosam sanguinis eductionem, hoc est, cùm animalis facultas concidit, & sine motu, & sensu, iacet homo cum sudore frigidulo in facie pallida erumpente; & virtutis vitalis diminutione; sic enim à syncope distinguitur lipothymia, seu lipopsychia, id est, deliquium animi: quia hæc est lapsus, & ablatio facultatis vitalis, ita, vt pulsus per aliquod tempus non percipiatur. Diminuuntur ergo vires in deliquio, deperduntur autem, & ad tempus aliquod concidunt in syncope. Præterea lipopsychia ad facultatem animalem, quæ citiùs quàm vitalis patitur, pertinet, syncope verò vitalis est affectus. Hinc intelligere licet, quòd cum deliquio virium robur adesse potest: quia solùm in hoc spiritus resoluuntur, qui sunt partes virium; vnde etiamnum ægrotus loquitur, audit, videt, agnoscitq; præsentes. At in syncope minimè, quia vires integrè deijciuntur, id est, resoluuntur spiritus, & calor, & proportio, seu symmetria humorum, & densitas partium solidarum, in quibus vires consistunt; quâ certè qui opprimitur, nec audit, nec videt, & (vt verbo expediam) omnes externas functio-

Lipothymia á syncope quo differat.

functiones quasi interceptas habet. Lipothymia igitur leuior est syncope, hancq; solet praecedere.

Respondendum igitur, quod Gal. in Com. tres casus proponit, in quibus licet ad animi deliquium vsq; euacuare. Primus est in ardentissimis febribus, secundus in maximis inflammationibus, tertius in acerbissimis doloribus. Verum tamen isti tres casus non sunt vniuersaliter assumendi: Nam si in omnibus febribus ardentissimis, & doloribus, talem euacuationem moliremur, patiens cum sanguine animam efflaret: siquidem febres ardentes purè biliosae non patiuntur hanc euacuationem; quamuis, vt ait valesius in controuersijs, ex ea refrigeratio magna inducatur, quae feruorem bilis extinguere potest: quia ex euacuatione huiusmodi corpus siccius redditur, & fomentum bili subministratur, etsi enim bilis copia cum sanguine euacuetur, maior tamen portio intus remanet, quàm postea de nouo incenditur, & magis quàm ante feruere, & aestuare, incipit: quia non ampliùs tam fortiter refraenatur, sanguine copiosè iam extracto, nec vires factae debiles, tantopere resistere valent; nec ardentissimae febres putridae: quia fons putredinis semper remanet, etiam post largam euacuationem; sicut nec pestilentes, aut malignae, febres: quia in ijs sunt conseruandae vires; remanent ergo solae febres continentes, hoc est, ex plenitudine feruescentis sanguinis

Soluitur dubium.

sanguinis genitæ, in quibus euacuatio ad animi deliquium admitti potest; vt communiter omnes interpretes volunt. Sed nec dolores colici, aut iliaci hanc euacuationem exposcunt, sed tantùm illi, qui á calidis causis excitantur. Deniq; nec in magnis inflammationibus, quæ sunt in augmento, & vigore; conuenit euacuatio ad animi deliquium: seruari enim debet calor, vt ad maturationem, & suppurationem sufficere possit. In illis ergo inflammationibus admittetur hæc euacuatio, quæ statim in principio sunt magnæ, id est, copioso affluxu turgentes, vel quæ magnum periculũ minantur: vt, angina, peripneumonia, & pleuritis.

In quibus affectib9 ad animi deliquiũ sanguis mitti debeat.

Itaq; prædictis casibus sanguis ad animi deliquium euacuatur, tum vt seruor sebris contemperetur, redundantia sanguinis tollatur, vires collectæ fortiores euadant ad id quod superest edomandum. Verùm circumspectus debet esse Medicus in huiusmodi euacuatione facienda vt vires semper conseruet; quod cùm difficile sit iuueni Medico (cui præcipuè hæc scribimus; vt & totam praxim hanc nostram dicamus) satiùs est cum Celso hanc reformidare, & per vices missionem sanguinis partiri, vt omnem vitæ aleam, obtrectatorumq; reprehensiones effugiendo, dignitatem, ac existimationem nostram inuiolatam tueri & conseruare possimus.

Salutare consiliũ Medico.

CA-

CAPVT XXXIIX.

Vt vacuandi quantitas ex Temperamento æstimari debeat.

Tertius scopus, Temperamentū.

1. CAlidum & humidum corporis Temperamentum, in propria solidarum partium substantia situm, quia vi insiti caloris assiduò, plurimumq; dissipatur, ac dissoluitur, non peræquè largam tolerat vacuationem, atq; quod ab illo plurimùm dissidet, frigidum & siccum.

2. ¶ Quodcunq; verò corpus inde humidum appellant, quòd multo humore abundet in venis recondito, id facillimè venæ sectionem sustinet.

CAPVT XXXIX.

Vt vacuandi quantitas ex Habitu corporis æstimari debeat.

Quartus scopus Habitus corporis.

1. HAbitus corporis extenuatus, mollis, & rarus, phlebotomiam largā ha-

ud tolerat, cùm sit & imbecillus, & multæ dissolutioni obnoxius: contrà verò carnosus, firmus, necnon densus, quòd pauca sinat è corpore dispergi, copiosam fert vacuationem.

2. ¶ Præpinguis autem, & obesus, licèt in eo, respectu cæterorum habituum, minimum dissipetur, ægrè tamen venæ incisionem ideò sustinet, quòd angustis existat venis, quas exinanitas pinguedo facili negocio stringit, deprimitq; vt inde metus sit, ne calorem natiuum extinguat.

3. ¶ Huc quoq; veniat in æstimationem venarum capacitas, nam quib9 hæ ampl, turgidæq; conspiciuntur, tolerabilior est vacuatio, quàm quibus angustæ.

4. ¶ Sed neq; Humorum natura negligatur: quippe tenues & calidi celerrimè disperguntur, & defluunt, crassi verò, humidiq; diutius hærent. Hæc duo posteriùs dicta Galenus docuit: Quæ inquit, *ex mulieribus albidiores sunt, sanguinem solent gerere tenuem; quare scarificatione malleolorum pedis iuuantur: at nigriores sectâ venâ curato; crassum enim sanguinem colligunt; Maximè si amplas venas sortitæ sunt.*

Lib de sang mis.

CAPVT XL.

Vt va-

Vt vacuandi quantitas ex Ætate, æstimari debeat.

Quintus scopus, Aetas.

1. HAc tempestate nostra vix annũ trigesimum quintum attingimus, & iam pleriq; incipimus declinare, vltra verò quadragesimum quintum annum rarò excellens adest virium robur: ideò nulli qui in ea ætate constitutus est vena incidi debet.

Aetas declinans.

2. ¶ Multò minùs post septuagesimum annum senes venam tundendam præbebunt: hæc enim ætas maximè viribus imbecillis est; quapropter qui reliquum vitæ calorem sectâ venâ cum sanguine profundit, moribundum senem in Charontis cymbam præcipitat.

Senes sãguinem non minuant.

3. ¶ Si tamen senex valetudinaribus, non ab exhaustio semiaridus & exanguis, sed his malis, quæ 3. Aph. vlt. describuntur, fatigatus fuerit, frequenti, moderataq; sanguinis extractione liberabitur. Vel clariùs: Si acuto morbo corripiatur senex venoso corpore existens, vena ei vtiliter secari poterit, & minui ad aliquot vncias: & per ἐποφαίζεσιν repetita detractione prauũ euacuare sanguinem. Nam, Galeno aucto-

Senes qui, & quando, sanguinẽ minuũt.

re. & 70 annorum natis modò pulsus emicet, si affectus iusserit, copiaq; sanguinis adsit, venam aperiemus.

Pueris vena non secanda

4. ℭ Puerorum verò ætas virium quidem substantia abundat, tamen quia veremur, ne phlebotomiâ vires eorum discutiantur, ac deliquant, abstinemus in pueris à sanguinis missione: non quidem respicientes ad præsentem statum, sed magis futuram infirmitatem Nam cùm pueri corpus calidum & humidum obtineant, molle, tenerum, ac patens; plurimumq; dissipetur in illis ob incrementum & exhaustionem, sanguinis missionem tutò non ferent: quantum enim ex incidenda vena moliendum erat, id vltro ex corporis natura præstatur. Cùm itaq; puerili ætati exhaustio & incrementum sit loco venæ sectionis, vacuanti præsidio minimè eget.

Quibus ætatibus phlebotomia conueniat.

5. ℭ Quæ ætates inter senectutem & pueritiam mediæ interueniunt, quoniam firmis viribus, & corpore bene constituto tenentur, nulla vacuandi præsidia metuunt. *Hæ sunt interiorum causarum obseruationes, quæ sponte, intimoq; motu, corpus, viresq; afficiunt. Præter eas vero euidentium quoq; constitutio tenenda.*

Obiec-

Obiectio.

SEd fortè aliquis nostra arma in nos conuertet, Obiectio
ac dicet Vltra quadragesimum quintū annum rarò excellens adest virium robur: *Ergo pueris liberali manu debetur sanguinis extractiò, nam virium substantiá abundant. quò enim quid propiùs abest à suo ortu, eò triplicis naturæ viuidior substantia inest.* Dicimus, *vires natu-* Solutio.
rales puerorum valere quidem in præsenti: tamen, quia metuimus, ne phlebotomiâ eorum vires dissipentur (vtpote multo vuido, & dissibabili, consistentes) abstinemus in pueris á sanguinis missione: non tàm respicientes ad præsentem statum, quàm futuram infirmitatem.

Alia obiectio.

CVm Galenus, summus in arte medica vir, ac Obiectio
Præceptor noster, neq; ante 14. neq; post 70. annum, nos verò, in hac mundi senecta, iam neq; post 45 (*ijs, quas in capite proximo cum eodem Galeno attulimus, rationibus adducti)* venā tundamus: *Igitur tàm pueri, quā senes, vel in grauissimis etiam morbis (quos, si quidem ortum sui à sanguine ducunt, neq; purgatio, neq; vllum aliud remedij genus, præter ipsam phlebotomiam, tollere potest) frustra à phlebo-*

Aliquem vcuati enis modum pueros se nesq; fer re posse probatur

tomia auxilium aut sperant, aut implorant; cum ab ea penitus reijciantur. Dicas, Galeni dictum *de pleniore illa, veteribusq; consueta vacuatione audiendum: nam moderatam quæ tum viribus, tum plenitudini, aut par, aut inferior sit, vtriq; pro eo ipso, quantulocunq; sunt præditi, modo, facilè ferent.* Sic Rhases *ætate decrepita, quæ* 1. *graui, vrgenteq; pleuritide, vel peripneumonia,* 2. *torquebatur, sanguinem emisit.* Sic Auenzoar *filio suo trimo se vtiliter venam secuisse commemorat.* 3. Sic *deniq; Galenus etiam ipse pueris decimumquartum annum agentibus, sanguineis, & acuto morbo implicitis, cotylam, siue libram, extrahit: & viribus perseuerantibus, ac premente morbo, iterum semilibram educit.* 4. Sed & *ipsi plerumq; experimur, sexto aut 5. ætatis anno tres sanguinis quatuorue vncias, pleuritim, interiores inflammationes, hisq; grauiores morbos, finiuisse.* 5. *Sponte naturæ tum pueris tum infantibus lectentibus sanguis interdum abundè prodit è* 6. *naribus, nullâ corporis, aut virium iacturâ. Suis viribus, ijsq; validis, prædita est puerorum ætas: cur igitur ad illarum proportionem vacuare non possumus; cùm præsertim cuiusvis est puer, plenè, ac liberaliter educatus, cui amplæ venæ, bene cocto, puroq; sanguine tument. Et quidam robusti sunt 10. anno, sed his parcius demes: aut saltem cucurbitis, vel hirudinibus eximes.* 7. *Adextre-*

mum

mum verò donemus virium robur lædi: vtrum magis optandum fuerit, vel vt puer seruata plenitudine, succiq; copiá, intereat? vel vt ea imminuta, offensisq; quodammodò viribus, a morbo vindicetur? Secandæ autem venæ necessitas in pleuritide, interioribusq; inflammationibus, quam in continuis febribus puero maior existit. Nam quæ insensibiliter exhauriuntur, sensim id agunt, nec vt decet, accidunt influentem causam morbificam, quæ vrget. Nulla igitur est ætas, quæ non aliquem vacuationis modum ferat.

CAPVT XLI.

Vt vacuandi quantitas ex Regione æstimari debeat.

Sextus scopus, Regio.

I. REgiones calidissimæ, & frigissimæ vacuationes difficilè ferunt: illæ quidem, quòd multum calidi innati, viriumq;, multum peccantis humoris è corpore hauriant. hinc vires extenuantur, pauciorq; sanguis manet in venis: hæ verò, quòd sanguis, frigore veluti concretus, vacuationi vix cedat; sed & partes internæ si suo calore, ob venam apertã, aliamue causam, destitutæ fuerint, ambientis frigoris in-

Regio calida & frigida phlebotomiã non fert.

iuria

iuriâ extinctionis periculum minabuntur. Porro de regionibus Asclepiades & Galeno obseruârunt, Pleuriticos Romæ & Athenis degentes phlebotomiâ non iuuari, quòd Austro vtraq; ciuitas sit exposita: contrarium autē accidere in Hellesponto, quod iaceat ad Boream.

Obseruatio Asclepiadæ & Galeni.

2. ℂ Quę inter has intercedit regio temperata, id est, in qua neq; ob frigiditatem horremus, neq; ob calorem exudamus, aut varij sumus, largissimam sanguinis vacuationem tolerat.

Regio tēperata tolerat vacuationē largam

3. ℂ Quæ verò ab hac temperata non multùm recedit, id est, quæ est frigidior & humidior, qualis nostra Patria, in ea quoq; sanguis abundantiùs mitti potest: quippe innatum calidum, humoresq; intus coercet, horumq; minimum dissipat.

CAPVT XLII.

Septimus scopus. Annitempus.

Vt vacuandi quantitas ex Anni tempore æstimari debeat.

In Vere conueniunt vacuationes.

1 IN anni temporibus Ver sanguinem largiùs fundi permittit: quia per id temporis virtus robusta est, humores fluxiles,

aeris

aeris temperies, Solisq; qualitas amica: ob quæ omnia venæ sectio tuta.

2. ¶ Habet autem Ver partes tres. Principium, quod Hyemi respondet; finem, qui Æstati; medium, quod exactam seruat naturam; ac licèt de toto Vere sit vera sententia, nos tamẽ cum Hippocrate de Vere medio potissimùm intelligimus.

Veris tres partes.

6 Aph. 47

3. ¶ At ne hæc quidem docemus, quasi eo solo tempore illud fieri debeat, sed si non est quidpiam, quod multùm vrgeat, illud tempus expectandum esse, vt omnes, qui parati sunt ad morbũ, vel deinceps appropinquantibus dictis temporibus morbis corripiuntur, curari, præseruariq; possint: id quod præstat phlebotomia. Quamuis enim Ver valdè commodum sit, & opportunum ad curandos morbos, aliquorum tamen fert occasio, vel ad Æstatem, vel Hyemem, vel Autumnum, vt curentur, præseruenturq; Quæ tamen ita se habent, vt post Ver Autumnus, deinde Hyems, omniũ verò minimũ Æstas venæ sectionem patiatur.

Vrgente morbo tempus anni non eligendum.

4. ¶ Maximè verò, quia *Sub caniculam, & ante caniculam molestæ sunt per medicamenta purgationes* Medicus per ea tempora, quoad fieri potest magnam sanguinis missionẽ fugiat, nec nisi magna in necessitate id faciat:

Lib: 4. Aph. 5.

Canicula vacuationes

non permittit. ciat: nam sub ipsa canicula, id est, quo tempore exoritur cum Sole, & ante caniculam, per aliquot dies difficiles Hippocrates dixit purgationes. Non solùm autem caniculæ exortus, sed omnis syderum vehemens motio fugienda est in magnis remedijs. vnde scripsit idem Hipp. vitanda esse æquinoctia & solstitia per dies 10. ante & post, nec per illa tempora aliquid moliendum, nisi vrgeat necessitas, maximè autem solstitia, quia tempora sunt fortiora: Hîc verò vno caniculæ exemplo intelligi voluit & in magnis mutationibus difficilè ferri pharmaca, atq; vt breuis est Hippocrates, & ex particularibus colligere solet vniuersalia, non solùm exempla medicamentorũ purgantium vult nos intelligere, sed etiam omnia alia magna remedia, vt sectionem venæ, quod proximè ad rem nostram, propter quam huc digressi sumus, facit, vstionem, sectionem, aliaue id generis difficilè ferri in canicula ipsa, & per consequens in magnis commutationibus, & calidis.

In lib. de aere & aq.

Aph. Hipp. expositus.

Remedia in canicula non omnino reiiciuntur.

5. ¶ Licèt autem difficile sit ferri medicamenta per caniculam, non tamen Hipp. ideò negauit phlebotomiam, & pharmaca, & alia remedia, per ea tempora facienda esse, vbi necessitas vrget, verùm ista remedia,

dia, quantũ ad temporis conditionẽ (*quam quidem magnifacere Medicus semper debet*) difficilè ferri.

6. ¶ Quod cùm ita sit, omnia sint eo tempore leuia; pharmaca verò humida & lenia, qualis est casia, manna, aut Rhabarbarum; & in forma potionis ob siccitatem exhibenda; & fortia etiam vbi necessitas id postulare videatur.

In canicula remedia sint leuia

Notæ.

1. *TEmporis mutatio Astrologis potissimùm est per Æquinoctia, & Solstitia; quod etiam max. Hipp. arbitratur; attamen diuisio, quæ fit per Solem non est ita accomodata, sicut quæ consideratur per ortum, & occasum syderum magnorum.*

Diuisio anni alia Astrologis, alia Medicis.

Ver itaq; Hipp ac Medicis est ab Æquinoctio verno ad Pleadum ortum. Aestas ab ortu Pleadum ad Arcturi ortum; quæ duas partes habet, prima ad caniculam extenditur, secunda ad ortum Arcturi. Autumnus est ab Arcturi ortu ad Pleadum occasum. Hyems á Pleadum occasu, ad Æquinoctium vernum; quod tempus habet tres partes, Sementem, brumam, & insertionem.

Itaq; Medicis ver ad duos menses ferè extenditur, sicuti Autumn9; At Hyems & Aestas ad quatuor. Hæc diuisio accomoda est valde, tum ad Epidemia

intelligenda, tum Medicis ob manifestas in illis alterationes aeris.

2. ℭ *Hic nota, statim incipiente Vere sanguinem ijs esse minuendum, qui verno tempore morbis corripi solent: in extrema verò eius parte ijs esse mittendum, qui in Æstate corripi morbis consueuerunt.*

CAPVT XLIII.

Vt vacuandi quantitas ex Cæli statu æstimari debeat.

Octauus scopus, Tempestas,

A natura ventorū pendet Tempestas.

A Varietate naturæ, & dispositionis ventorum, varij status, seu constitutiones cæli, siue tempestates pendent, qui licèt multi numerentur, octo tamen præcipui sunt; quatuor nimirum principales, quatuor reliqui collaterales. Principales sunt: Boreas, Auster, Oriens, Occidens; secundarij collaterales; Omnium in exemplum assumimꝰ duos ventos præcipuos, & maximos, Austrū, & Boream; per quos de alijs coniecturam facere licet, quatenus ad hos accedunt.

Ventorū effectus

2. ℭ Neq; verò parui momenti cuipiā

videri debet consideratio ventorum: quippe ratione locorum, per quos transeunt, varias acquirunt qualitates; vt modò refrigerent, modò calefaciant; humectent, exsiccent; sanitates conseruent, aut corrumpant; pluuias aut serenitates inducant.

describuntur.

3. ¶ Ac non solùm manifestis qualitatibus nos inficiunt, sed etiam occultis, & malignis: nam seu animalium mortuorum deferens halitum, seu ex hiatibus terræ, montiũ diuisionibus, effletur aura maligna, seu impreßione syderum inficiatur, magnas calamitates mortalibus afferre solet.

4. ¶ Austrina itaq; Tempestas parciùs sanguinem mittendum esse suadet: Auster enim, qui est calidißimus, humidißimus, ac tardißimus, perflans, omnes operationes debilitat, sensus enim, & spiritus, & medium incrassat, & humectat, cerebrum replet, articulos liquat; vnde & motus, & sensus debilitantur.

Austrina tempestate parcè vacuandum.

5. ¶ Durante vero Tempestate Boreali, parcè etiam minuemus sanguinem: quia Boreas frigidißimus siccißimus, & violentißimus, veluti Hyems, quamuis calidũ innatum roboret, ac firmet corpus; vnde sensus omnes, & motus expediti sunt; quare & naturalis, & vitalis virtus eo tempore maximè a-

Borea flãte parcè vacuandum.

mè valent, attamen & hoc efficit, vt sanguis, frigore veluti concretus, vacuationi vix cedat; hæcq; ferè incommoda, quæ Hyems inuehat.

Constitutio cæli temperata admittit phleb.

6. ¶ Quare constitutio cæli vtcunq; tēperatior, id est, quæ nulla insigni tempestatum vi iactabitur, sanguinis largiorem missionem admittet.

Scopi simul 3 iūcti indicant quātitatem vacuādi.

7. ¶ Aduerte, in ambientis constitutione, Regionem, Tempus anni, & Tempestatem, ita perpetuò implicita, atq; colligata esse, vt cuidā re vnum videantur esse, ratione verò duntaxat certa differre; quæ iam in vnum conferamus, vt ex illis simul iunctis certior vacuandi quantitas nobis indicari queat.

Obseruationes notatu dignæ.

8. ¶ Itaq; Regione frigida, & Hyeme, premens Boreas, omnino phlebotomiam nobis interdicit: Solusq; Auster placidior illam admittit.

9. ¶ Regione autem feruida, & Aestate, quum flat Auster, venam pertundere formidolosum: fit enim tunc propter constitutionem cæli impensè calidam & siccam, notabilis per cutim vacuatio: At quum Boreas æstum temperat, tutissimum. *Dixi causas, quæ tum innati calidi, tum humorum substantiam aut conseruant, aut disijciunt, obscurè tamen, ac sine sensu.*

CAPVT XLIV.

Vt vacuandi quantitas ex Vacuatione ſpontanea æſtimari debeat.

I. QVi duntaxat præſeruãdi gratia pertuſuri ſunt venam, priùs diligenter videre debent, an excretiones ſolitæ ſpontaneæ cohibeantur, nec ne. V. G. In viris hæmorrhoides, in mulieribus verò menſes, num conſueto tempore fluant, vel omnino retineantur. Nam quibus ſolitæ euacuationes præter naturam retinentur, venæ ſectione minimè læduntur: at ſi illis in tanta copia, etiamſi hæc parua eſſe videatur, erumpant, quantam natura ad ſui conſeruationem requirit, alteram vacuationem ſinè noxa non ferunt.

Nonus ſcopus, Spontanea vacuatio.

2. ℂ Quos autem ad venæ apertionem vis morbi cogit, aduertant naturam excretionis. Hæc enim vel tollit cauſam morbi, vel non. V. G. In febribus ardentibus cùm vomitus moleſtiam faceſsit, ſi à venoſo genere, ventriculo immiſſo ſucco, atq; halitu, non euenit, viribus recreatis, hocq; ſymptoma-

Spontanea vacuatio materiæ morbi nihil detra-

hens, legitimam non excludit.

ptomate sedato, venam incidemus: *nihil enim rectè fit, quod ante significatum non fuit signis apparentibus ad speciem, & tempus crisis*, id est, signa pepasmi debent præcedere excretionem.

3. ℭ Si verò spontanea excretio morbi causam tollit, nihil tentare licet, ex sententia Hipp. dicentis: *Quæ iudicantur perfectè, quæq; iudicata sunt exquisitè, nullo modo nouanda, neq; medicamentis purgantibus, neq; alijs irritamentis, sed missa facienda.*

1. Aph. 20 Spontanea vacuatio legitima sinenda.

4. ℭ Quòd si verò natura excretionẽ moliatur, nec perficere queat, nos, quod euacuationi deest, excitabimus, vt si subtillum sanguinis languidè ex naribus feratur. Eadem ex causa in dysenteria purgans medicamentum offerimus, vt quod sensim, & languidè per anfractus parùm idoneos elabitur, affatim per ductus conuenientiores deriuetur, ac defluat. Modicam enim excretionem ita respicimus, ac si nulla omnino esset, quòd tunc maximè fit, quando morbo correpti nullum leuamen inde sentiunt, vt in febribus pestiferis, vbi pauco sanguine nares stillant, larga manu educimus sanguinem: quia natura mole pressa, illi est impar: tentat quidem excretionem, sed fatiscit. Vnde Galenus exclamat:

Natura in conatu suo iuuanda.

Mirum

Mirum est, vt natura sese abijciat, cùm, quod tentat, excludere nequit.

CAPVT XLV.

Vt vacuandi quantitas ex Genere vitæ, seu victu præcedente, æstimari debeat.

Decima animaduersio, Genus vitæ.

I. HIc expendendum est genus, ac institutum vitæ, eius, cui tundendam venam suscepimus: qui enim frugaliter siue ex consuetudine, siue ex morbi impedimẽto, victitant, parciùs vacuandi sunt, quàm qui liberaliùs, pleniùsq; viuunt.

2. ℭ Porrò quò sanorum aliquis exquisitiùs viuit, eò difficiliùs vacuationes fert. quia debilior.

3 ℭ Quamobrem (vt & hoc obiter dicam) sani homines, Hipp. & Celso auctoribus, nullis legibus obligari, nullamq; seruare debent vict9 rationem determinatam; modò sint sani. Exquisitus namq; victus, præterquàm quód breuẽ faciat vitam, periculosus etiam est ob varios vitæ errores, per quos si illa viuendi ratio mutetur, ferè

I. Aph. 5. Tenuis victus sanorum damnatur.

 morien-

morientur; intelligo senes si ad iuuenes comparentur.

4. ℭ Sed neq; gulæ deditis phlebotomia idoneum remedium, teste Galeno lib. 1. de cur. rat. per sang. mis. c. 7. cùm inquit: *Incontinentes, ebrios, ac gulæ deditos, neq; pharmacia, neq; phlebotomia magnopere iuuabis: nam per victus intemperantiam crudorum humorum copiam celeriter coaceruant.*

Gulæ dediti arcētur à phlebotomia.

Moderatis conuenit phleb.

5. ℭ Quare qui mediocri cibo vsus fuit, huic duntaxat intrepidè, re ita postulante, sanguinem detrahes. Comedoni verò, & lurconi, præcipies inediam; *quæ est omnium plenitudinum conuenientissimum remedium, præterquàm bilis: Sicuti omnium plenitudinum fomes est ocium, & exsatiatio cibi, atq; crapula.*

Inedia remedium plenitudinum.

CAPVT XLVI.

Vt vacuandi quantitas ex Consuetudine æstimari debeat.

Vndecima animaduersio, consuetudo.

1. QVi antea nunquam manum suam Chirurgo tundendã præbuit, missionem sanguinis, sinè metu, ac plerunq; animi deliquio, præcipuè si meticulosus fuerit, non sustinebit: in rebus siquidē naturæ

Qui consueuit, minuat sãguinē, non contra.

turæ tàm amicis, quàm aduersis, si quid patienti insolitum, aut iniucundum, offeratur, id absq; magna iactura, ac sæpè quoq; graui vitæ discrimine, subire non poterit: Qui verò venæ incisionem iam sunt experti, quiq; eandem priùs tulêre ex facili, modò vires crebra vacuatione non sint offensæ, cæteraq; conspirent, his securiùs soluitur: alacriùs enim, proindeq; leuiùs eam perferent, quàm inexperti. consueta quippe mala minùs sunt infensa.

2. ¶ Quapropter opinione sua vulgus longè fallitur, quâ primam venæ incisionē, vt inprimis salutarem, suscipit, & quasi veneratur, conseruatq; in extremos vsus commodaturam.

Notatur stultitia vulgi.

CAPVT XLVII.

Vt vacuandi quantitas ex Exercitiis æstimari debeat.

Duodecimus scopus. Exercitia

1. QVi crebrò exercent corpus suū, parciùs sunt venâ apertâ minuendi: quòd eam ob causam pauca in corpore excrementa, & supervacua accumulent: Qui

verò ipsa prorsus non curant, sed ocio diffluentes vitam suam consumunt, aut saltem rarò exercentur, vberiùs vacuandi sunt: conijcere enim haud facilè est, fieri nõ posse, quin talium corpus multa redundantia coaceruet; quæ vel qualitate, vel quantitate, vel quod frequentiùs accidere solet, vtroq; peccant.

CAPVT XLIIX.

Futurorũ prouisio ac prospectio præscribendæ quantitati necessaria.

I. ACuti, sapientisq; Medici est, non solùm præsentes vires emetiri, verùm etiam futuras prospicere: hæ enim post vacuationem ita conseruari debent, vt & alia pòst adhibẽda remedia ferre queãt, & morbi longitudini, atq; iudicationi sustinendæ sufficiant. Insuper, ne posthac intempestiuè, & non suo tempore cogamur nutrire, sanguinis nonnihil retinendum, asseruandumq;, ad morbi decursum, ac reliquæ curationis spacium.

Quare vires conseruãdæ.

2. Aesti-

2. ℂ Aestimabimus autem futuras vires tam ex causis procatarcticis, id est, foris incidentibus, praesentibus & futuris, quàm ex symptomatis praeter spem solitis euenire, quales dolor vehemens, Vigiliae, & vacuationes, praeter opinionem erumpentes.

Quales erunt vires in posterum, vnde cõiectandũ.

3. ℂ Igitur caeli status si calidus & siccus fuerit, ac postea quoq; talem fore conijciemus, parciùs sanguinem mittemus, quàm si frigidum expectaremus.

Calido sicco coelo, parcè vacuandum.

4. ℂ Ita quoq; si prouidemus ac prospicimus aegrum tenuiter victurum, quod accidere posset, aut appetentiâ languente, aut affectu deglutire non permittente, vt cùm angina fauces praecludit, strictiùs vacuare monemur, quàm si plenius victurum spes esset. Atq; in his praedictis casibus asseruare aliquid sanguinis (tanquam naturae thesaurum, & suppetias, in leuamen futurae penuriae) conuenit:

Tenuiter Victurus aeger strictè vacuandus.

5. ℂ Repentina verò, & inopinata symptomata (*hîc num. 2. dicta*) quia praeter spem vires infringunt, ac debilitant, quanquam vires tunc valent, phleboto: tamen, vel nullo modo, vel praeparcè admittunt.

Inuasuris symptomatis ferè non vacuandum.

6. ℂ Symptomata verò saeuitura in pati-

Simptomata ve-

prospici-atur. entem non erit difficile prudenti Medico prospicere Qui enim V. G. ante solebat quàm mox ab aperta vena incidere in Syncopen, hic cùm sit vel naturâ imbecillior, vel meticulosus, vel cardialgia, id est, oris ventriculi morsu ex bile mordaci excitato, laboret, vel os ventriculi infirmum, & quã maximè acri sensu præditũ habeat, coniectura est, & in posterum, nisi fortè huic malo antè (quod est summæ prudentiæ) sit obuiam itum, non fore ab ea ægrum immunem. Reliqua symptomata faciliori negocio prouidentur.

7 ℭ Verùm iam mox dicta, quò clariora euadant, exemplo illustremus.

Si quem igitur videris naturâ sanguineum, corpore eusarco, denso, ac firmo, ætate florenti; qui alimentis optimis, & valentis materiæ longiori tempore sit vsus, exercitia consueta neglexerit, solitæ vacuationes & solennes è naribus, hæmorrhoibus, vtero substiterint; regione, anni tempore, cæli constitutione moderatè calidis & frigidis, & quæ diutius duratura spes sit; futuri quoq; doloris, inediæ, vigiliarum, aut spontanæ vacuationis significatione nulla apparente, ægroto ad vacuationem procliui, morbo verò, vt graui, vehementiq; febre, vel inflamma-

flammatione non diu perseueraturo, huic sinè mora (si quidem ex harum concursione causarum corporis habitus non mediocre incrementum cepit, & venæ naturâ amplæ præ copia sunt distentæ) largissimâ sanguinis missionem imperabis: Quemadmodum si hæc omnia contraria conspexeris, & prospexeris, nihil omnino molieris.

CAPVT XLIX.

Indicationibus contrariis quid agendum.

1. DIctæ proximo capite animaduersiones ita inter se plerumq; permiscentur, ac quasi bellum gerere videntur, vt quid consilij capiendum sit, haud lateat. quo quidem tempore prudenti acriq; iudicio Medico opus est, quo ex collatis illis inter se vacuandi quantitatem determinet.

Indicationibus contrariis quid agendum.

2. ℂ Enimuerò præteritorum recordatio frequenter largâ manû sanguinem educendum iubet, cuius tamen libertatem præsentium obseruatio, aut futurorum prouisio nobis subtrahit.

3. ℂ V. G. Aliquis pristinis exer-

citijs

citijs intermissis, ociũ & luxum sequutus est, alimentis sese expleuit boni succi,& solidis, vacuationum quapiam solennium suppressa est, sed hinc corpus euasit pingue & album, laxum & molle, tenuisq́ue succi plenum; hoc præterea accidit in æstate, regione æstuosâ, cœli constitutione calida sicca: huic omnino sanguinem non profundes: satis enim ex seipso non tantùm obscurè, verùm etiam manifestè vacuatur.

4. ℂ Cùm autem sic permiscentur res, non multitudinem, sed potestatem earum potiùs præcipio considerandam: plerunq́ue enim vna, cæteris omnibus dignitate, ac præstantia, excellit.

Consiliũ Medico Imperfe. cto.

5. ℂ Qui neq; artis cognitione, neq; longo rerũ vsu, neq; prudenti, synceroq́; mentis iudicio, confidit se posse vacuationis quantitatem definire, is Hippocratis consilio, potiùs infrà subsistat, quàm exquisitè vacuet. *Vide hac de re vberiùs supra sub cap. 37. fol 55. & 56.*

QVÆSTIO.

Est quæstio Medica, & vsu nobilis, hoc loco commodè mouenda. Sitne vteri gestatio inter animaduersiones phlebotomiæ habenda.

Hippo-

Hippocrates ipse venam non esse secandam in grauidis, graui morbo implicitis, docere videtur, ob fœtum, qui vtero continetur. Mulier, inquit, in vtero gestans, incisa vena, abortit; idq; magis, si est fœtus auctior.

Grauidæ non vacuandæ.

At certè hoc perpetuum minimè est: posteriori enim ætate contrarium vsus docuit; quod firmatur auctoritate Cornelij Celsi. Antiqui, *inquit,* primam vltimamq; ætatem sustinere non posse hoc auxilij genus iudicabant, persuaserantq; sibi mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasq; potiores obseruationes adhibendas, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neq; quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mulier, quæ grauida non est, parùm valet, malè sanguis emittitur. Emoritur enim vis, si quæ supererat, & hoc modo erepta est. Ac firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò curantur.

Grauidas vacuandas probatur.
I.
Lib. 2. cap. 10.

Sed & ipsiusmet Hippocratis auctoritas, & naturæ lex, idem firmant. Nam quæ corporis constitutio eiusmodi est, vt in corpore cacochymiâ tentato validum medicamentū purgans, sinè iactura, ferat, eadem, in corpore à cacochy-

mia libero, sed tantùm aliquo plenitudinis morbo obnoxio, faciliùs sanguinis missionem feret: quia in hac sunt validæ virium substantiæ, in illa pollutæ: At *ingrauidatio talis est constitutio, quæ pharmacum validum ferat: igitur feret & leuiùs, id est, venæ sectionem. Quòd verò grauidæ & vacuentur pharmaciâ, & eam ferant, id probatione nulla eget:* Hippocrates *enim purgationem ijs mensibus, qui inter tertium & octauum interponuntur ingrauidatis, saluis earum rebus, largitur. Quòd si verò media gestatione liceat venam incidere grauidæ, an non longè tutiùs in initio factu fas est? cùm sanguis eo tempore magis abundet, & fœtus minore egeat alimento. Vnde multæ, nisi vena circiter quartum mensem reseretur, abortiunt. Quinetiam quicquid ex naturæ imitatione fit, id rectè fit:* At *sanguis sæpè commodis ingrauidatarum superuacui effusionem vltro aggreditur per nares, hæmorrhoidas, vterum: & aliquando menses statis temporibus vtiliter effluunt: annuente itaq; natura, vena interdum his solui poterit.* His *igitur tùm auctoritatibus & exemplis Principũ Medicorum, tum rationibus suffulti, primis mensibus tutò venã aperiemus, si morbus grauis vrget: nam fœtus mẽstruus vix drachmæ pondus æquat: trimestris, vix semunciã: quare non multo nutricatu illi opus est.*

3.

Quo tẽpore grauidis vena secanda.

Et *si peracutus morbus bellum inferat extre-*

mis

mis mensibus, sinè fœtus, & fœtæ iniuriá, emitti sanguis poterit. Nam etsi pluri grandior fœtus eget alimento, quám primis mensibus, quia tamen pluribus mensibus sanguis retentus fuit, copiosior postremis mensibus existit: indicio est lac, quod tunc copiosissimè gignitur. In lacte enim fucus naturæ est: nil enim aliud, quàm albus sanguis, coloris crudelitatem fugiens.

Lac fucus naturæ.

Ad auctoritatē verò allatam respondemus, Hippocratem illud affirmare de copiosissima sanguinis extractione, quâ fœtus suo genio defraudatur: nā olim non nisi ad libræ pondus, quod minimum erat, trahebatur sanguis. Vel respondemus: de vena pedis id protulisse Hippocratem: nam hæc præcipitat fœtum: Vnde

Solutio quæstionis.

Altera solutio.

Cautio: Non in sola plethora, verùm etiam citra hanc, quum pleuritis, aliaue inflammatio, vrget, vena in cubito cædenda: Inferiores autem grauidarum venas incidere minimè tutum: quia, impetu deorsum conuerso, menses procedunt, præcipitaturq; fœtus: id quod Hippocrates dicto Aphorismo, secundùm posterioris solutionis sensum, intellexit.

Cautio.

Cautio altera: Octauo, ac nono mense, rarò citra abortum sanguis detrahitur: quia mulier leui ex causa, vel ob vteri imbecillitatem, vel ob lubricum lentorem, abortire consueuit. De quantitate vacuandi hæc quidem satis, deinceps verò de vtendi ratione.

Cautio altera.

CAPVT L.

Quo tempore morbi, die, hora, vena secanda.

Quando vena secanda.

1. NOn intelligimus hîc tempus anni, ex quo superiùs (id est cap. 42.) vacuandi quantitatem æstimari debere docuimus, sed tempus morbi, quo sit sanguis emittendus. Quorum itaq; morborum causa est plethora, id est, in quibus morbis sanguinis feruentis copia, aliaue humorum labes in vasis, deprehenditur, his venæ sectio confestim, & ineunte morbo, conferenda. Nam

Vacuandum in principio morbi probatur 1.

2. ¶ Quicquid morbi in posterum gignendum est prohibebitur: quicquid verò genitum, & procreatum iam est, profligabitur. Sic in febribus priusquam sanguinis moles feruoris incendio torreatur, aut putredo valida inualescat, maturanda est venæ apertio. Sic si in principio inflammationis hoc genus præsidij tentaueris, ipsius incrementum certè arcebitur; plerunq; autem & hęc omnino sanabitur: qui enim in partê confluit humor nondum hæret, & profluentis sanguinis impetum, cursumq;, promptè sequitur.

3. Et

3 ¶ Et nimis verendum, ne, incisione venæ neglectâ, in nobilem partem humor efferus ab ignobiliore sese transferat. qui infelix casus vocatur Metastasis. Quare si humor sit efferus, eodem ipso die, quo ferri incipit (auctore Hipp.) excludendus: nam cunctari calamitosum est. Vnde ridiculi mihi videntur, qui à 7. hora ad 12. tantùm sanguinē emittunt: cùm quocunq; die scopi mittendi sanguinis sese oferant (vt docet Galen.) facere debeant, etiamsi is 20. ab initio extiterit: modò vires ferāt: & 2. die, si vires nō annuāt ab ei9 vsu vereri oportet.

2. Metastasis quid. 4. Aph. 10. De sang. misf. c. 20.

4. ¶ Quinetiam venæ sectio, morbis, quibus conuenit, incipientibus si decernatur, sublata multitudine, quod reliquū erit, faciliùs natura concoquet, ac euincet. Idem superiùs c. 2. fol. 2. num. 3.

3.

5. ¶ Accelleranda itaq; venæ sectio in principio morborū, maximè verò peracutorum, qualis angina, pleuritis peripneumonia, alijsq; inflammationibus, quæ præcipuè inductæ sunt ob sanguinis copiam, cū & vires per initia firmæ sint, constantesq;, nec valde ijs dissimiles, quæ pridem erant integra valetudine.

4.

6. ¶ Excipimus tamen casus certos, in quibus ineuntibus morbis abstinere debemus à

Casus in quibus vena non

secatur in initio morbi. mus à phlebotomia. Enimuero

1. Si vires nullæ sunt, nequaquam conceditur venæ apertio. De his æstimandis satis superq; superiùs, c. 36 & 37. integris, dictũ.

2. 7. ¶ Si magnitudo morbi non vrget, præstat manè aperire venam ante vnã horam vigilantibus: manè enim, prout dicetur inferiùs num. 12 funditur sanguis.

3. 8. ¶ Si ventriculus primæq; venæ cruditate, vel cibo semicocto, refertæ sunt, tãtum moræ in secanda vena interponendũ, quantum satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum excrementorũ descensionẽ, videbitur. Si verò corruptus, noxiusq; humor abundat in ventriculo, aut vicinis illi partibus multò magis differenda venæ sectio, donec expurgetur: quòd is humor multò maiore iactura, quàm cruditas rapiatur in venas, hasq; impuritate multa polluat.

9. ¶ Quemadmodum vniuersaliũ temporum ita & particularium, vt *dierum, horarũ, quibus morbi recurrunt, delectus habendus, in his præcipuè morbis, quorum certa est aut intermissio, aut remissio: vt vacuatio non exardescenti, sed mitescenti morbo afferatur.* Maxima enim morbi tranquillitate vena secta, vix vllum naturæ negocium facessit, ipsamq;

Quo die morbi vena secanda.

multi-

multitudinē è venis maioribus eripit, nullo excandescentiæ metu; Maxima verò trāquillitas est, medio vel intermissionis, vel remissionis tempore; Medium autem istud pro rerum commoditate assignare non difficile, si spacia inter accessiones porriguntur ac intercedūt, sin minꝰ, aut nimis angusta interueniunt, difficile: quia aliquando vix occasio sese offert, vel ante, vel post venæ sectionem, opportunè ægrum alendi.

10. ❡ In Paroxysmis vero, id est, inuasionibus, seu accessionibus morborum, V. G. febrium, maximè intermittentium, siue materia morbi, seu humores peccantes in vasis maioribus contineantur, siue extra vasa, sanguinem non mittemus. Nam si in venis maioribus exardescunt, nulla omnino potest iusta eorum fieri excretio: quia maximè, quodam quasi æstu incitati, efferuescunt, obturbatiq; permiscentur. Si verò extra venas maiores incandescunt, multò minus sui abactionem indicant: est siquidē metus ne illi in venas exinanitas è vestigio commigrent, atq; fiat ex intermittente continens. Quinetiam Hippocrates ipse in paroxysmo phlebotomiā celebrari non permittit. *Vbi fames, inquit, laborandum non est*: in vigore est fames: Vt per sanitatem corpore

In paroxysmo venam non esse secādam probatur.

1.

2.

3.

2 Aph 16.

corpore inediâ confecto non laborandum: ne vires ab exhausto fractæ, accedente labore, languescant. Sed & natura ipsa, ineunte paroxysmo, sanguinē nunquam eijcit; Si quæ verò fortè excretiones tum incidunt, symptomaticæ sunt, solius morbi seruore, impetuq́; factæ.

Obiectio.

Obiectio

Natura plerumq́; in febrium, maximè intermittentium inuasionibus vomitiones, & declinationibus sudores, mouere solet: Medicus verò naturam imitari debet: Ergo in accessionibus vacuabit.

Solutio.

Dicas, dum natura in inuasionibus vomitiones, aut declinationibus sudores ciet, non aluum deijciendam, vel venā secandam, hortatur, sed easdem vomitiones, aut sudores (auctore Hippocrate) eodem tempore, arte promouenda.

1. Aph. 2.

Dies iteratæ phlebot.

11. ℭ Iteratæ detractionis tempus, cùm euacuationi tantùm studemus, eodem die esto: Nam si reuulsio curæ erit, si vel duobus deinceps diebus fiat, meliùs, ac faustiùs illa eueniet.

Qua hora mittendus sanguis.

12. ℭ In quibus morbis siue præcautionis, siue curationis gratia, datur potestas eligere horam mittendi sanguinis, conuenientior erit matutina, quàm pomeridiana: nam à Solis exortu sanguis suscitatur, viget,

atq́;

atq; dominatur, ipsoq; diei lumine tenuis, serenus, fluxuiq; fit aptior; maximè 2. & 3. diei hora, alijs verò horis alij humores vigent. De quo quidem motu humorum Soranus Ephesius dilucidè scriptum reliquit: *Humorum, inquit, suis temporibus in corpore dominantur, nempe, sanguis ab hora noctis 9. vsq; ad horam diei 3; bilis flaua ab hora diei 3. vsq; ad horam 9. diei; bilis nigra ab hora diei 9. vsq; ad horam noctis 3; pituita ab hora noctis 3. vsq; ad horam noctis 9.* Idem sentire videtur Gal. 12. Ther. Meth. c. 5

13. ℭ Non statim à somno excitis, venã incides, sed antea horam circiter vnam vigilantibus, & postquàm hesternum cibum probè concoxerint, corpusq; ab excremẽtis tum per vrinam, tum per aluũ, repurgauerint; eoq; magis, si vna quæpiam venarũ ampliorum erit incidenda. Nam exiles, è quibus sanguis parciùs emanat, nulla istiusmodi animaduersione aperiuntur.

Cautio.

CÆterùm quotiescunq; vehementiores morbi, vt angina, pleuritis, sanguinis immoderatior fluor, extrema vasorum plenitudo, aliju e, qui præcipites sunt, prement, & instabunt, nihil istiusmodi delectus habendus.

Cautio alia.

AT verò in febribus, alijsq; morbis, qui circuitibus affligunt, quietis, aut remissionis obseruatio multò præstantior, quàm matutini temporis. In quamcunq; igitur diei, noctisq; horam quies, aut remissio inciderit, cæteris in id ritè administratis, vena pertundetur.

CAPVT LI.

Obseruationes Astrologicæ.

Obseruationum Astrologicarum

ASTrologicæ etiam obseruationes (quæ his apponi solent) vt non parùm efficaces, tenendæ. Quarum

1\. 1. ℭ Luna synodum suã cum Sole celebrante; nefas est venam soluisse; quemadmodum etiam plena existente; quamuis fuerit in bono Signo.

2\. 2. ℭ Incidere membrum ferro, Luna existente in Signo illud membrũ respiciente, Astrologus exhorrescit.

3\. 3. ℭ Luna existente in Signis aereis, vel igneis, vtilior apertio venæ, quàm ipsa existente in Signis terreis, vel aqueis.

4\. 4. ℭ Iuuenes, & viri, Luna crescente, seniores decrescente, minuant.

5\. Verè

5. ℭ Vere atq; Æstate pars dextra, Autumno, & Hyeme, secetur sinistra. 5.

Cautio.

Sed in vehementioribus morbis, qui breuiter, & cum summa vi suam absoluunt historiam, quales sunt anginæ, suffocationes, pleuritides, plethora, causi, omnesq; inflammationes, in quibus symptomatum statim plena sunt omnia, syderum influxus contemnendus ilico est, ad soluendumq; venam pergendum. nam horum morborum hyparxis in inordinato potiùs, quàm in ordinato, consistit, hoc est, á materiæ vitio magis pendent, quā à cœli iniuria. Tunc enim, qui ex Lunæ varijs concursibus ac zyzygijs cum Sole, alijsq; erronibus stellis, tempus venæ secandæ captant, toto (quod aiunt) cœlo, aberrant, ac funestam calamitatem sæpissime hominibus inferunt: cùm, neglecta curandi occasione, tempus actioni opportunum perit; hincq; ex morbo curabili insanabilem efficiunt.

Necessitate vrgē te Astrologica prudens Medicus contemnit.

CAPVT LII.

Ad venæ sectionem corporis præparatio adhibenda.

1. CОrporis idonea præparatio ad venæ sectionem si neglecta fuerit, ægroto plurimum offensionis impendebit. Præparatio autem ista potissima est partium, quæ in prima corporis regione sunt, puritas, & expurgatio.

Venæ sectionē 4. remorantur.

2. ℭ Vitia, quæ phlebotomiam impediunt, seu potiùs remorantur, sunt quatuor; Ventriculi, primarumq; venarum, cruditas; noxiorum humorum colluuies; aluus fæcibus adstricta; os ventriculi nimiopere sentiens, aut imbecillũ. Hæc verò non omnino venæ sectionem excludunt, sed tantùm, dum tollantur, retardant. Nam (vt singula eo, quo proposui, ordine persequar) si, quum ventriculus, primæq; venæ, cruditate, seu cibi copia, quem nondum confecerunt, tument, venam aperias, necessariò plurimum crudi succi in locum sanguinis, quòd venæ exhaustæ auidè rapiant, succedet.

Primum vitium, cruditas.

Signa cruditatis.

3. ℭ Cognoscitur cruditas præsens ex assumpti cibi qualitate, & copia, tempore, quo ingestus est, vtendi modo, ac ructu; maximè si grauet, aut tẽdat hypochondria, & ventrem.

Curatio cruditatis.

4. ℭ Huic rectè medeberis, si, exemplo Galeni, tantùm moræ in secanda vena interpo-

terposueris, quantum satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum excrementorum descensionem, videbitur. Hæc verò sponte, id est, naturaliter, nisi succedant, arte, id est, vel clystere, vel suppositorio, proliciēda; aut prunis, casiaue, aluus emollienda.

5. ℭ Quòd si verò corruptus humor in ventriculo, aut vicinis partibus, exuperat, dum incidenda vena, siue illic genitus est, siue aliunde, veluti ex capite, iecore, liene, procubuit, multò maiore detrimento, quā cruditas, rapitur in venas, hasq; impuritate multa contaminat; Vnde obstructiones, vel cachexiæ generātur; aut etiam morbi, quos curare proposueras, ingrauescunt, eorumq; symptomata, euadunt grauiora. Insuper impuri humores impetu suo, ferociaq; concitati, excandescunt; ventriculum præcordiaq; vellicant, hinc nausea, conuulsio, lipothymia, syncope, & alia centum symptomata, quæ periculi plena sunt. Vna bilis in os ventriculi tunc effusa, omnium maximè hæc mala inuehere solet.

Secundū vitium, corrupt9 humor.

6. ℭ Huius signa: Cibi fastidium, nausea, humoris vomitio, frequens alui deiectio, grauitas, aut dolor ventriculi, huius, aut præcordiorum tumor, atq; distensio.

Signa corrupti humoris.

7. ℭ Quæ quoties, præter vllam ciborū

Curatio.

corrupti humoris. cruditatem, deprehenderis, è prima corporis regione, antequàm vena secetur, deturbandus est vitiosus humor, illorum auctor, & velut seminarium, vomitione, si sursum vergit, hausta potione aquæ tepescentis, vel alio simili: Alui autem deiectione, si eò declinat. Hiera picra, si febris non reclamat, in id efficax, vel rheubarbarum, vel sena, vel agaricus, vel pro humoris specie, aliud quodpiam blandum, cuius vis vniuersam corporis molem neutiquam exagitet. Atq; his non modò semel, verùm etiam secundò, & tertiò, re ita postulante, vti conuenit. Casiam ad hoc multi commendant, sed mihi non probatur, vt quæ, sola vi leniente, vel emolliente, prædita cùm sit, tenaces valde, & glutinosos, humores, nec satis detergit, nec ex aluo subducit.

8. ¶ Si verò humorum vitia in omnes corporis regiones pariter irruerint, eas suo quamq; ordine vacuare expedit, hoc est, primò venas mesenterij, deinde venas maiores, tandem corporis molem. Non autẽ contra: alioqui ex primis venis in maiores, ex his deindein corporis habitum humorum noxiorum esset traiectio: quod omnino non esset purgare, sed cõtaminare, & labefactare corpus. Igitur ex mole corporis

poris in venas maiores, ex his in primas, deinde in aluum traduces.

9. ℭ Suppeſsiore aluo, ſi quoq; venam aperueris, iecur, exhauſtæq; venæ, ſordidũ quiddam, & impurum, è fæcibus exſugent.

Tertium vitium, aluus ſuppreſſa.

10. ℭ Alui duriciem qui non agnoſcat præſentem, nullus eſt: ſi enim admodùm eſt quod excrementa alui depoſuerit, adſtricta aluus erit.

Signa duræ alui.

11. ℭ. Suppreſsio alui, vel eſt facille ſolubilis, vel pertinax; vel mediocris. Primam ſequens remedium mouet: Recipe Seri caprini lib. 2. Exhibe cum ſale, & melle, ante cibum. Secundam hoc ex turbat: Recipe Mannæ vnc. 1 Bibatur cum iure pulli ante cibum. Tertiam ſuppreſsionem curat ſequens: Rec. Folliculorum ſenæ vnc. ʒ Infundatur in infuſione roſarum ſolutiuâ horis 24 & facta dein expreſsione, adde vuarum paſsul. de Corintho lib 1. Cum ſaccharo coque leuiter; Repone Electuarium, ſeu Confectionem. Ex qua ad vnc. 1. vel 2. ante cibum, quoties aluum leuiter mouere cupis, ſumere poteris. Hoc in theſauris habeto: eſt enim Confectio optima pro emolliendo ventre his, qui ſtiptici ſunt.

Curatio adſtrictæ alui.

Electuarium in theſauris habendũ

Si aſueuiſti; vel eſt periculum in mora, clyſtere, vel glande, ad humectandum ventrem vtendũ

Cautio.

est: commodisſimè enim, & citò, leniunt; sed in primis glandes tentari posſunt; licèt eorum frequens vſus hæmorrhoidas excitare posſit. Clyster autem ex puro oleo, nullo alio admixto, cùm aluꝰ diu restitit, fieri debet: oleo enim fæces induratæ molliuntur, humectantur intestina, præcipuè in senibus; ideò illud mirificè extollit Gal. Fiat autem per 3. horas ante cibum Et si non mouet per id tempus, tunc alio inserto clystere Communi, facilè lenietur aluus. Recipit Communis clyster aquam, oleum, mel, sal, & oui luteum.

Clyster diuturnæ alui suppresſioni.

Clyster Communis.

Aduerte etiam, in grauidis mulieribus, nec clysteres, nec glandes conuenire pro emolliendo ventre: quia partes infernas agitant, eaq; loca prope vterum irritant; quare abortus periculum imminet; Sed cibis, idem efficientibus, aut medicamentis, vbi necesſitas cogit, vtemur.

Cautio alia. Grauidis clyster nocet.

12. ¶ Vltimum vitium, venæ sectionem retardans, est oris ventriculi sensus, seu imbecillitas. Est autē eximius sensus, cui nerui, è cerebro misſi, sunt molles, teneri, nudi, aut rebus occursantibus obuij. Estque picrocholos; & vix sinè offensione, salsa, acria, vt acetum, piper, sinapi, edit. Imbecillitas verò ventriculi, causata aliquando ab intemperie, aliquando à rariore structura fibrarum, his signis se prodit, quòd cibꝰ neq; appetatur, neq; facilè feratur, sed, eo

Signa diagnostica eximii sensus ventriculi.

inge-

ingesto, dolor sequitur, quandoq; nausea; interdum vomitio.

13. ¶ Qui sic affecti sunt, ex phlebotomia (quæ pariter cũ sanguine spiritus dissipat, cæterosq; humores commouet) vel conuulsione, vel comitiali morbo, vel syncope stomachica vexantur ad internecinũ periculum; aut cætera demum symptomata incurrunt, quæ huius partis occasione nascuntur.

Signa prognostica extremi sensus oris ventriculi.

14. ¶ In tali casu antequã vena secetur, os ventriculi munire decet ijs, quæ robur addunt, & humorum acrimoniam retundunt, quæq; influxum humorum coercent. Eiusmodi inter cætera, calida intemperie dominante, habetur succus citreorũ, limonum, & ribes. In suspicione verò frigidæ intemperiei, ex vsu erunt syrupus mentæ, diacydonion, vinum austerum. Horum itaq; modicum ægro conferetur. Vel, quod melius est, panis triticei optimè pisti, momentum, horum aliquo intinctũ, porrigetur; hincq; statim, vbi paululum quieuerit, vena incidetur.

Curatio cardialgiæ, & imbecilli ventriculi.

15. ¶ Addere libet, quòd aliquando adeò crassus sanguis in venis reconditur, vt ferè spes nulla sit, eum facilè per venæ apertionem posse educi.

16. ¶ Quo animaduerso, extenuabimꝰ
cum, tribus, vel quatuor, ante venæ secti-
onem diebus, mulsâ, cui aliquid hysopi,
nepetæ, origani, aut pulegij, incoctũ est.

17. ¶ Hîc etiam confert inambulatio,
aut balneæ: Siquidem balnei calore san-
guis liquatur, & attenuatur, adeóq;, vt
magis effluat, idoneus efficitur. Non mul-
tùm verò in balneis immorandum, ne vires
infringantur; vnde iam non admitterent
phlebotomiã; sed tantùm dum corpus mo-
dicè incalescat. Hæc totq; sunt vitia, quæ
solerti, ac prudenti Medico retardant ve-
næ sectionem. At hæc tonsores ignorant,
Chirurgi pauci curant. Vnde cùm indiscri-
minatim omnibus sinè vlla consideratione
venã incidant, sæpè ægrotorũ posteriora fi-
unt prioribus peiora; sæpè quoq; mors in-
gruit.

18. ¶ Illa quæ dicta sunt, dum tollantur,
phlebotomiam retardant, hæc quæ sequun-
tur non iam remorantur, sed præpediunt,
& excludunt. Talia: Hydrops, cachexia,
scirrhus iecoris, & lienis; & si quæ præte-
rea sunt, quorum importunitas scalpellũ
procul arceat.

Cautio.

PRæparatio venæ sectioni præmitti debet, si morbi clementia patitur. Immanis verò, & importunus morbus, nulla præparatione præmissa, nulla interposita mora, ad venæ sectionem cogit. Id genus sunt: Habitus athleticus, qui præsens suffocationis, ruptionisue vasorum, periculum minatur, vehementissimæ inflammationes, acutissima pleuritis, ardentissima, eaq; maligna, febris, casus ex alto, grauisq; collisio. In his enim omnibus, & similibus, impendentis periculi euentus magis timendus, quàm noxa ex corpore non præparato. Cautio.

De Figura sequenti.

SChema, quod Speculum Phlebotomiæ inscriptum, hinc inspice, appositum. Docet enim nomina venarum, alioqui confusionem paritura; sedes, ac loca, sinè quorũ cognitione phlebotomiam rectè exercere est impossibile; originẽ, atq; processum, qui si quem lateat, etiam, quæ vena in quo morbo sit secanda, lateat est necessariũ Causam si quæris; cur (quod in anatomia fieri solet) hic venas ab omnibus partibus, maximè verò cute, liberas, ac nudas non commonstrauerim. Accipe, & vel tuometipsius iudicio, id minimè necessarium fuisse dices. Vel enim hoc facerem, vt venam cauam, eiusq; in vniuersum corpus progressum, & distributionem, delinearem: vel vt

venas, phlebotomiæ duntaxat dicatas, exhiberem: tertium non est. Quorum quidem primum extra operis instituti rationem, alterũ verò minimè necessarium, videbatur esse: quippe venæ quæ solent aperiri, cùm inter cutem, & carnem, sitæ sint, à Chirurgo videri, tangiq; possunt. Satis igitur tyroni huius disciplinæ sit nomina, sedes, & originem venarũ aperiendarũ nosse, ac tenere. Neq; etiam à me expectandũ erat, vt omnino sedem incidendæ venæ, tanquam sagittâ scopum, attingerem, cùm vix inter mille reperiantur 2. homines, in quibus venæ nonnullæ eodem modo se habeant, sed, pro varietate subiectorum, varient; quod corporis humani dissectio, sed & assidua Chirurgorum experientia, docet. Itaq; cædendæ iuxta commonstratum locum vbi magis, apparent, suiq; conspicuum præbent aditum.

CAPVT LIII.

Tempore sectionis venæ, quæ facienda.

Tempore sectionis venæ quid debeat fieri.

1. IN sectione obseruandum, si æger languet, vt se prosternat in dorsum, partibus cunctis ritè compositis ad æquabilitatem: Ita enim spiritus facilè viam affectant ad partes exhaustas, ac à principibus partibus profecti, facilè influunt, & viscera in dorsū versa, sedendo quasi quiete mulcētur.

2. ℂ Partem pronam, artusquè, confricet industri9 Chirurgus, dum incalescant; proximè verò supra secandū locum lorum, seu vinculum, arctè inijciat. Hoc enim pacto, sanguine prolecto, vena, quam quærimus, emicabit, seseq; conspectui promptiùs offeret. at recto ductu meminerit ligare: ne quid venam tegat.

3. ℂ Adiumento quoq; est infra illigari: sæpè enim tremula, & inconstans, vena ad quemuis impulsū phlebotomi subterfugit, aut è sua sede prosilit.

4. ℂ His autem, quibus venæ angustæ sunt, aut in altum multa carne, & adipe, demersæ, & quibus cutis densa est, multò

arctiùs vinculū inijcitur, quàm ijs, qui contraria constitutione sunt.

5. ¶ Et si ne sic quidem vena sese prodat, id est, si adacto loro, non emicet, & subsit quid teres, ac renitens, ablato vinculo, pars accuratè tactu exploretur; nam si & tunc duricies perseuerârit, non vena, sed tendo, aut musculi caput erit: nam vena, laxato loro, statim considit, iterumq;, vinculo iniecto, renititur: arteria micat, sed non pressa loro. quare antè tentabitur digitis.

6. ¶ Minores autem venæ, vtpote manuum, pedumq;, si lateant, nec facilè reperiantur, cùm non satis, vinculis sanguine attracto, impleantur, manus, aut pedes (si eò loci secare anim9 sit) auctore Cor. Celso in calentem aquā demittentur. hoc & profluenti sanguini impetum facit.

li.2. c.10.

7. ¶ His ita Chirurgus noster instructus, vt probè venam secet, scalpellum habeat, cuius mucro sit acerrimus; quem visu perspicaci, manuq; ministra valida summis digitis apprehēdet; quæ man9 nō sit pensilis, sed minimo & annulari digito, iñixa membro; nec plus mucronis, quā ad penetrādū sit satis, proferet; altera verò manu membrum, eiusq; pollice venam stabiliet, firmabitq;: quò maior renisus appareat, & vt turgeat.

7. Dein-

8. ℭ Deinde ferrum blandè, & modicè obliquè, in capacitatem vsq; venæ inferet: quâ pertusâ, ferrum non retro reuocandũ est, quà perrupit, sed eius acies tollenda, causâ depressâ.

9. ℭ Si crassus, aut viscosus, sanguis inesse putabitur, aut si aeris constitutio frigida sit, ampla; si tenuis, & aquosus sanguis fuerit, aut ipsa cæli constitutio calida, angustior tum demum fissura fiet.

Vulnus amplum, aut angustũ quãdo conuenit in phleb.

10. ℭ Venâ, vt decet, apertâ, vinculum à superiori parte laxandum erit: quò inde sanguis vberior defluat.

Quæ iuuent fluxum sanguinis in phleb.

11. ℭ Si sanguinis cursus erit idoneus, sinatur, si minùs abundè, & segniꝰ, fluat, idq; sectionis errore, ea emendetur.

12. ℭ Si autem crassicie, aliaue ex causa, minùs abundè, ac segniùs, fluat, æger pugnum arctè, vehementerq; adducat; neruos, musculos, & latera, tussi, atq; valida voce, contendat. vel, aquæ calidæ fomento vulnus proritetur.

13. ℭ Si patiens terreatur, hincq; parciùs sanguis dimanet, fiat intermissio, dum vires reficiantur.

Intermissionis sãguinis in phleb. cõmoda.

14. ℭ Imò etiamsi pro ratione sanguis emanet, vtile est medio cursu digitum vulneri indere: tum vt vires recreentur, atq;

minùs dissipentur, tum etiam vt deterior, spurciorq; sanguis ex intimis in sectionem confluat.

Effluenti sanguini attendendum in phleb.

15. ℭ Cæterùm iam erumpente sanguine, qualitas eius statim consideranda est: nam si omnibus partib9 probè sibi constet, id est, si nec crassus, nec niger, sed rubeus, ac pellucidus sit, cohibendus fluxus erit.

16. ℭ At si vitiosus is est, qui effluit, sanguis; præsertim si virium robur (quod ex pulsu facilè deprehenditur) atq; phlegmone adsit, si æger ætate vigeat, ac aeris constitutio sit temperata, sanguinis immutatio est expectanda: siquidem mutatio index est sanguinem ex inflammata sede, in qua is est à reliquo dispar, euelli.

17. ℭ In ijs tamen, quibus imbecilliores vires sunt, nec tantam vacuationem, quàm coloris sanguinis mutatio sequitur, ferre possunt, & quibus phlegmone adeò maligna est, vt de sanguinis mutatione nihil cõcedat, non erit expectanda sanguinis mutatio: sed quũ alij scopi sint sistendi sanguinem, vt docet Galenus, illis attentum Medicum esse oportet: nam si sanguis minore impetu, quàm antea ferebatur, effluat, vires iam defecturas demonstrat; maximè si accedat pallens faciei color, oculorũ caligo, oscitationes, pandiculationes, aurium

lib de san. mis.

tinni-

tinnitus. Adhæc singultus, & nausea; quæ duo postrema fiunt irrumpente humore in os ventriculi

18. ℭ Signo autem, quod ex pulsus immutatione sumitur, maximè attendendum monet Galenus: quòd nequaquam mendaci iudicio (vbi ex crebro rarꝰ, aut ex magno paruus, ex vehementi debilis & obscurus, ex æquali inæqualis euadat) confestim vires collapsuras, nisi à detractione sanguinis quiescamus præsagiat.

CAPVT LIV.

Curatio cuiuslibet deliquii animi, à venæ sectione oborti.

1. SI ex vacuandi quãtitate vires collapsæ sunt, statim intercipere debet Chirurgus: alioqui imbecillitate progrediente, mors, vel iactura nunquã illo remedij genere resarcienda, consequetur.

Curatio deliquii animi.

2. ℭ Si verò aliunde, vt metu, vel stomachi morsu malum natum fuerit, intermisso fluxu, patientis os, faciemq; frigida consperget, acetum, moschum, vinum, & id genus odorifera, naribus adhibebit.

4. ¶ Mox æger prosternetur: omnibus enim partibus in vnam situs æquabilitatẽ adductis, cessat labor omnis; principes quoq; partes caloris & spiritus plus sibi cõmunicant.

5. ℭ. Si ne sic quidem proficitur, vomitus excitabitur, faucium titillatu, vel oleo. stomachi, cordisq; tædia sic pelluntur, suscitaturq; robur.

6. ℭ Quibus peractis, ac ægro suscitato, vires eius refocillandæ sunt vino, iure carnium, diamoscho; vel succo mali punici, & alijs cordi conferentibus. Hinc si ita expedire videtur, reliqua vacuatio cõpleri commodiùs potest.

CAPVT LV.

De epaphæresi, id est, iterata venæ sectione, quid statuendum.

In maximis morbis, viribus constantibo, vniuersè

QVum ex feruentis sanguinis copia, aut maxima inflammatio, aut dolor vehementissimus, aut ardentissima febris inuadit, ipso statim principio, priusquàm effrænatus sanguis in aliquam principum partiũ illabatur, non modò quantum illius exuperat,

rat, verùm etiam plus emittendum, idq; vniuersè, & affatim etiam, vsq; ad animi defectionem, si existente homine plethorico validæ vires tolerando sint.

vacuandum ad animi deliquium.

2. ¶ At in leuioribus, ijsq; vniuersalibus, vt in plethora, febribus, alijsq; morbis, quorum materia coercita est in vasis, non quidem vsq; ad animi deliquium, sed tamen quantum expedit, vniuersè, & statim initio, si modò vires annuant, vacuandum est. Ea vacuatio exuperantem materiam, citra vllam virium noxam, antequàm tota putrescat, aut in nobilem partem irruat, extrahit. At qui in his metu, & inani cura, perterritus partitur, minùs proficit, morbũq; producit in longius.

In leuioribus morbis vniuersalibus, viribus integris vniuersè vacuandũ quantum expedit.

3. ¶ Si virium imbecillitas vetat vniuersam vacuationem compleri (sanè virium, quàm morbi, obseruatio præstantior) partiemur. Partitio autem fit ex modicis interuallis, dissoluto vinculo, aut digito vulneri indito, dum (vt superiùs cap. 53. dictũ) reficiantur vires; quod aliquando horam vnam, aliquando plures requirit. Nihil autem meliùs in morbis vniuersalibus, quàm vltra vnum diem non differre, bisq; sanguinem, nisi quid aliud prohibeat, antequàm putredo, aliaue mala inualescant, sanguinẽ trahere.

In leuioribus morbis vniuersalibus, viribus imbecillis vacuatio partitur.

Morbi particulares partitam phleb. postulant.

4. ¶ Verùm morbi particulares, qualis phlegmone, partitã euacuationem longiore interuallo seiungi, atq; repetitam in diẽ posterum, aut perendinum, prorogari postulant: donec contaminati humores ex affecto loco remigrẽt in venas vacuatas, quos hinc altera phlebotomia faciliùs eripiet. Locus enim affectus paulatim vno aut altero die suos humores eò deposuit, qui cùm sint polluti, illic relinqui non debent, quamuis dolores conquieuerint. Hinc excipio malignam, ac venenatam, inflationem (qualis pestilens bubo, & carbunculus) quam eodem ipso die, sinè mora, necesse est, iteratis vicibus, demoliri: ne pestiferam contagionem diutius in venis morari patiamur.

Exceptio

CAPVT LVI.

Quottuplices figuræ sectionis; & in quibus qualibet earum vtendum sit.

Tres figuræ sectionis.

I. TRes sunt sectionis figuræ: Transuersa; Oblonga; & inter has media, quæ appelatur Obliqua.

Transuersa in qui-

Transuersa vtendum est, in quibus detractionem omnino repetere non est consilium:

filium: curuato enim cubito oscula fissuræ componuntur. Commoda est hæc incisio, vbi magnã fissuram facere voluerimus.

2. ℂ Obliqua autem fissura vtilis est, in quibus retractio repetenda est, & eò, quòd à vase non aberramus, dum sic secamus; Sed etiam sanguinis eiaculatio ex obliqua fissura pulchrior est aspectu videntibus, dũ velut obtorquetur, & obuoluitur sanguis in saltu.

3. ℂ Oblonga verò (quæ non pungit, sed findit venam in directum) commoda est his, in quibus non solum eadem die sectionem reiteramus, sed etiam post vnum, aut duos dies: incuruato enim cubito dissparantur oscula fissuræ. Commoda est etiã fissura in directum his, in quibus præuaricatio labiorum solet fieri.

4. ℂ Venæ igitur, quæ in articulis, brachij flexu, & poplite extant, in rectum diffissæ tardiùs coalescunt: quòd articulorum frequenti agitatione vulnusculi labra quodammodò dehiscant: verùm quæ extra articulos sunt venæ, vt in capite, pedibus, manibus, diuersam secandi rationem efflagitant, vt quæ in rectum fissæ, cicatricem celeriùs admittant: labra enim semper inter se coeunt.

bus vtendum.

Obliqua figura sectionis in quibus utendum.

Oblonga in quibus vtendũ.

Quibus venis quæ figura conueniat.

CAPVT LVII.

Quæ in phlebotomia quarundam venarum Chirurgus cauere debeat.

Cautiones in quibusdam venis secandis.

1. QVum nulla ferè venarum citra periculum omne non incidatur, vtpote quibus aut arteriæ iunctæ, aut nerui subiacent, ideò quæ in certis earum videnda, ac fugienda sunt, iam explicandum. Sub interiore enim, quæ Basilica dicitur, ferè comes arteria delitescit; & sub Media neruus; vtrisq; autem ferè musculorum tendines substernuntur.

Basilicæ secandæ locus.

2. ¶ Basilica incidatur postquàm se iunxerit Cephalicæ, infrà eundo per digiti latitudinem: Basilicæ enim neruus maximus eo loco subest, quò ferit digiti latitudo, sursum eundo, si consociationi Basilicæ, & Cephalicæ, imponatur: tunc si digiti altera latitudine ad axillas abieris, eo loco supergreditur Basilica neruum, dum nempe cursum suum ad Cephalicam flectit: ibi periculum. Si infrà pergas, in altũ se abdit neruus. Nec etiam tutò in ipsa coniunctione vtriusq; venæ fit sectio, cui plerumq; validissimi

ſimi tendines ſubſunt.

3. ℭ Cephalica autem ſuperiꝰ ferienda: nam ibi ab arteria, quæ ei vicina eſt, longiùs abeſt; & omnium eſt tutiſſima.

Cephalicæ ſecandæ locus tutior.

4. ℭ Media medio modo, dictarum reſpectu, ſe habet.

5. ℭ Venam frontis, rectam; dum incidendam quærimus, vinculum inijciendum eſt collo, vt ita intumeſcat; & obliquè erit ſecanda, cauendo diligenter, ne lędatur tunica pericranei.

Venæ frõtis cædendæ modus.

6. ℭ Iugularem exteriorem dictam vbi viſum fuerit reſerare, patientis caput in venæ diſſecandæ latus inflectendum contrarium; ſcalpellum autem ipſum habeat ſub cuſpide tranſuerſim prominens quippiam ex molli panno, quod, nè, quàm par ſit, altiùs penetret, inhibeat; ſectio verò ipſa inſtituatur recta.

Iugularis ſectionis modus.

7. ℭ In pueris vena, neruus, arteria, ferè ſimul conglobata ſunt: fiat in his amplũ, non altum vulnus.

Puerorũ vena.

CAPVT LIIX.

Venæ, arteriæ, & neruo, punctis, quæ auxilientur.

1. Alecti.

1. A Sectione venæ, vinculum dissoluatur, vulnus excitetur, ne concrescente sanguine madens, aut resignetur; quod aliquando octauo die accidit, aut abscessum inferat.

2. ¶ Adeps si exilit, ne præcidatur, sed intrò molliter referendus.

3. ¶ Detersum vulnus, si sanguinem iterum fundere consiliũ est, obsignabitur linteo, oleo imbuto: sin minùs, aqua dulci, vel rosaceo. Vel, quod melius est

℞ Rutæ, Absinthij, Hordei, ana partes æquales, misce, contunde, fiat emplastrum; quod aplicetur vulneratæ venæ.

Nerui aut tendinis puncti signa.

4. ¶ Ex neruo aut tendine puncto dolor ingens, stupor, resolutio, & brachij conuulsio cum tumore interueniunt.

5. ¶ Horum si qua erit suspicio, curandũ est, vt exitus saniei, medicamento verò aditus, pateat: quare ilico balsamũ hyperici infundatur, cum pauca aqua vitæ, vel emplastrũ è cerussa imponatur. In ambitu verò, id est, circa vulnus, ponantur repellentia, & adstringentia: vt, cataplasma ex semperuino, solano, arnoglosso, alijsq; frigidis.

Ateriæ cæsæ signa.

6. ¶ Arteria verò aperta, sanguis emanat tenuis, rubicundus, igneus, & quasi pulsu quodam exiliens; ægrèq; compescitur, cuius

cuius magnâ vi effusâ, sequitur virium exolutio.

7. ¶ Subsidio autem est emplastrum ex aloe, myrrha, thure, & bolo Armena, quæ oui candido, & pilis leporis, sint excepta. His dein lintea ex liquore rosaceo imbuta insternuntur. Emplastrum fascijs obuoluetur firmè, ac tutò, ne triduo excidat; hoc blandè summoto, simile denuo imponendum.

Arteriæ punctæ remedia.

1.

8 ¶ Quidam plagulas apponendas vulnusculo imbuunt vnguento rosato, aut populneo: nam inflammationem arcet, partemq; roborat; labijs verò diductis parum bombacis imponunt.

2.

9. ¶ Quidam thuris, vel lentis pulueris parũ inspergunt, deinde bombacem, mox æneum nummum crassum, instar aurei, imponunt, & ligant; tertio die soluunt.

3.

10. ¶ Si ne ijs quidem arteria coalescat, tota transuersim rescindatur, vt extrema vtrinq; reuulsa, molli carne obducantur.

4.

CAPVT LIX.

Qualia, & quot vasa excipiendo sanguini.

Vasa ad excipiendum sanguinem.

1. SAnguis è vena effluens, mundis, benèq; tersis peluiculis, terrenis, vitreis, plumbeis, argenteis excipiatur.

2. ℂ Non est excipiendus vasis æneis: ne ab ijs vel propriæ substantiæ, vel coloris, vel alterius qualitatis conuersionem subeat.

3. ℂ Sint peluiculæ multæ, in quibus sanguinis varietas conspici, & distingui possit.

4. ℂ Reponantur in loco mundo: quo nec puluis, nec fumus, nec ventus, nec Solis radij pertingere possint.

5. ℂ Vascula alta meliùs separant sanguinis partes: in patina magis rubet.

CAPVT LX.

Emissi sanguinis obseruatio.

Emissi sanguinis obseruatio, ex substantia, colore, odore, sapore.

1. IN superficie concretæ massæ rutila flauedine rubescit bilis: hinc purior pars sanguinis est, quæ propriè sanguis dicitur: dein viscosior apparet sanguinis portio, quam phlegma dixêre: fundo ater subsidit, melancholiam vocârunt, itaq; oculis, cuiusq;

auctа

aucta copia in massa extracta patet.

2. ℭ Omnium prima in his obseruabitur sanguinis substantia: qui lentè fluxit, &, tanquàm glutinum digitis adhæret, is viscosus est; obstructiones generat.

Sanguinis conditio ex substantia.

3. ¶ Qui ocyus concrescit, atq; conglaciat; ac multas fibras habet, crassus est, & densus; hic quoq; obstructionum, & aliorum inde morborum fit auctor.

4. ℭ Qui tardiùs concrescit, ac durescit, tenuis est.

5. ℭ Qui verò iam refrigescens, minimè durescit, & cuius fibræ omnes direptæ, atq; corruptæ euanuerunt, is omnino vel aquosus, vel putridus, censendus est.

6. ℭ Id ipsum sic meliùs ex fisione cognoscitur; Crassus, ac compactus, difficilè finditur, tenuis facilè: putridus verò non finditur, verùm simulatq; attingitur, totus in partes exiguas discerpitur,

7. ℭ Serum multum, tanquàm aqua citrina, concreto sanguini innatans, vel potum liberaliorem, vel iecur infirmum, quale hydropici, vel renes imbecilles, vel eosdē obstructos indicat: hincq; serum redundans in venas sanguini permiscetur.

8. ¶ Spuma innatans (nisi impetu fluxus nata sit) incendium, atq; feruorem, eius

humoris oſtendit, cuius colorem præſefert: Rubra quidem, ſanguinis; flaua, bilis; alba, pituitæ; liuida melancholiæ.

Sanguinis conditio ex colore.

9. ℂ Color dureſcentis ſanguinis per ſumma rubicundus, boni, vtiliſq; ſanguinis, eſt ſignum; Ruber quidem, ac lucidus ardentis (qualis arteriarum) ruber verò, & obſcurus (qualis venarum) mediocris ſanguinis index.

10. ℂ Color citrinus, ſeu pallidus, bilem; albus pituitam; viridis, bilem retorridam; liuidus, aut plumbeus, atram bilem cum pernicie. Diſparium colorum permiſtio, varios humores exuperare commonſtrat: qui an etiam putridi ſint, nec ne, ſanguinis ſubſtantia docet.

11. ℂ Sanguinis parte ſumma innatat aliàs pingue quiddam, & adipoſum, inſtar telæ aranei cohęrens. Hoc, ſi admodum pingue, & obeſum eſt corpus, ex ipſo ſanguine cauſam habet, qui eſt in adipem cōuerti pronus: Sin corpus ſtrigoſius fuerit, minùſq; obeſum, id ipſum colliquari, & marceſcere, portendit.

12. ℂ Ima parte concreti ſanguinis ſubſidet quoddam, quod terreum magis eſt, atq; fæculentum. Id quum finditur, ſæpius apparet vel rubrum obſcurum, vel nigrum,

vel

vel liuidum, vel viride: Hinc humoris, qui sanguinem perfundit, naturam videre est: atq; ex coloris copia assequi, quantùm vnusquisq; humor in venis abundet.

13. ¶ Si diffiso sanguine grana quædam arenularum æmula ostendantur, aiunt elephatiasim, vel propensionem ad eam significari: quanquam obseruantes nihil tale deprehenderunt quare qua facilitate affirmatur, ea quoq; abijcitur.

Sanguinis conditio ex odore.

14. ¶ Rarum est, sanguinem à venis graueolere; quod tamen si contigerit, putredinis, corruptionisq; deploratæ est indicium. Ego semel vidi cuidam fluxisse humorem, qui & colorẽ puris habebat, & grauiter fætebat. Qui tamen postquam partitis vicibus fuit extractus, æger ille conualuit, & adhuc est in viuis.

Sanguinis conditio ex sapore.

15. ¶ Si cui in os fortè detractus sanguis inciderit, dulcisq; apparuerit, secundùm naturam est; qui amarus, biliosus; acidus, aut stipticus, melancholicus; insipidus, pituitosus; salsus, pituitâ salsâ perfusus.

CAPVT LXI.

Emissi sãguinis obseruatio aliis quibusdã ingeniis.

Obseruatio sanguinis aliis ingeniis.

1. SAnguinis substantiâ, colore, odore, sapore, consideratis, conferantur simul peluiculæ; quæ si omnes bonũ cruorem æqualiter ostendant, conijcere possumus, reliquum in venis similem haberi; illum tamen extrahendũ fuisse, quòd multitudine noceret: hæc siquidem corpus aggrauat, sensus offundit, & putredinis, aliorumq; grauium morborum, seminarium existit.

2. ℂ Si pollutus, ac contaminatus, sanguis apparet, eò quoq; maiori cum commodo emissus est: tanquàm is, qui simul & quantitate & qualitatę corpus lædebat: quo nomine adhuc diligentiùs corpus vacuabitur siuę pharmaco, siue phlebotomiâ.

Notatur error imperfectorum medicorum

3. ℂ Quo tamen impurior sanguis, aut crudior, alieniorq; à sua natura longiùs desciuerit, tantò parciùs, & cunctantiùs minuendum de sanguine: quumq; longissimè ab eius forma abesse deprehendetur, in totum erit à phlebotomia abstinendum. At hoc contra morem vulgatium, & imperfectorum Medicorum.

4. ℂ Si, qui priùs emanauit, purus, qui autem posteriùs, prauus conspicitur, multis eiusmodi humoribus corpus scatere, tum proba diæta, tum idoneis vacuationibus

extir-

extirpandis, sciendum est.

5. ¶ Verùm si hoc ab inflammatione prouenit, indicium esto perfectæ vacuationis; quæ morbi materiam ex affecto loco eradicauit, sustulitq;.

6. ☞ Si postrema peluis innocentior est prioribus, consũmata est vacuatio, quæ sanguinem prauum totũ extirpauit, quum bonus, & vtilis dimanaret.

7. ¶ Sanguis in tepentem aquã effusus, diuulsis, separatisq; substantijs, multa profert. Serum cum aqua penitus commiscetur, vt illud internoscere haud posis. cum hoc quoq; confunditur sanguinis tenuior portio, ex cuius colore liceat de humoris natura, ac specie, aliquo modo iudicare, ac pronunciare. Crassior verò sanguinis portio, & fibrosa, subsidet in imo; quæ si lucida, tenuis, subalbida, & cohęrens, fuerit conspecta, pura, & naturalis censenda est; at crassior, crassum itidem sanguinem inesse; obscura, & nigra, alioue infecta colore, sanguinem prauorum humorum fæcibus contaminari portendit; qui ex coloris differentia dignoscuntur. Si parùm illa cohęret, ac districta facilè dilaceratur, immensæ putredinis est indicium.

Notæ.

Notæ.

1. *Rectè illi faciunt, qui à venæ sectione sanguinem seruari iubent, dum pars quæq; suo loco resederit; bilis enim flaua, sublimem massæ eius locum tegit; quemadmodum crassamentum melancholicum in fundum fertur. Hinc restagnante in sanguine, quisnam succorum quatuor in vitio sit; oculis facilè animaduertimus, ac in cognitionem morbificæ causæ ducimur, & tutiùs remedia (iam conspicuâ in causâ) admouemus.*

Chirurgorum inscitia notatur.

2. ¶ *Non tamen nos fallat sciolorum Chirurgorum opinio, qui aperta manus aut pedis venâ, dum, calente aqua exceptus pes sanguinem reddit, filamenta quædã viscosa sanguini innatantĩa, fundumq; petentia, manu exceptâ, ostendunt, ac pituitâ modis miris contaminatum sanguinem fuisse asserunt: falluntur, ac Medicos fallunt: sunt enim fibræ sanguinis, sinè quibus illabefactatâ naturæ humanæ œconomia diu perseuerare nequit, optimæ nutritionis, ac virium stabilimenti auctores: His enim depastis à putredinis vi, in febribus pestiferis, sanguis emissus, non concrescit; at calamitosum id esse sæpè obseruaui. Robustissimi tauri sanguis fibris abundat, ac propterea effusus, ilico concrescit; Ac ea vi perniciem Themistocli intulit: haustus enim in casei duriciem firmat se in ventriculo. Contraria vi, imbellium ceruorum*

Tauri sãguis cur venenũ.

sanguis

ſanguis non concreſcit, ob fibrarum vacuitatem. Mulieres Germanorum in porcino ſanguine fibras agnoſcunt, quem ad farcimina expetitum ſtudioſiſsimè atterunt, dum fibris fractis, fluxibilis euadat ſanguis.

CAPVT LXII.

Poſt Phlebotomiam regimen ægro.

1. VVlneratus æger ſupinus decumbat, vt omnib9 partib9 in ſpinam dorſi, tanquàm in corporis baſim, reclinantibus, ſumma ſit quies, & in quiete partes exhauſtæ repleantur, ſpirituſq; reſarcientur.

A phlebotomia vt regendus æger

2. ℂ Neq; igitur ad conſueta munia feſtinet, neq; celeriùs inambulet, neq; vllo exercitij genere ſe fatiget: neq; vtatur Venere, neq; in balneum deſcendat: quippe ſanguis, & ſpiritus vehementiùs incitati, ne diſſipentur, aut incaleſcant, ſedandi, comprimendiq; ſunt.

3. ℂ Hora vna, aut altera, à ſanguine miſſo licet alimentum offerre, exiguum quidem, quodq; boni ſit ſucci, quod promptè alat; quod ſit profligando morbo accõmodatum.

4. ℂ Duabus ab hinc horis nihil vetat obdormiscere, modò asidentes prospiciant, ne vel patiens in brachium se deuoluat, vel vinculum dissoluat.

Diæta à venæ sectione qualis esse debeat

5. ℂ Reliquus cibus sensim increscet; neq; temerè, aut auidè, ad pleniorem properandum est: vt quem natiuus calor imminutus non plenè sit concocturus, & quē crudum, multumq; exuctæ venæ rapiant, quo demum omnem corporis molem refarciant. Etsi autem integra sit omnis alimenti concoctio, quid tamen iuuat ilico sē succis largiùs implere, quos animus est vena secta demere? A misso itaq; sanguine exquisitior victus ratio tenenda erit; neq; protinus æger ad pristinam diætam, perindè vt canis ad vomitum, redeat.

De Arteriotomia.

CAPVT LXIII.

Vsus, & vtilitas Arteriotomiæ.

Vtilitas Arteriotomiæ.

I. HOc sæculo & Arteriotomia instituitur; quamuis pauci arterias incidant: quòd non admodùm conspicuæ sint, neq; facilè sit illas consequi: Vtilis tamen

est

est Arteriotomia maximè in dolore vehementi, ac diuturno, circũ membranas vim inferente, qui, ob membranæ sensum, pungenti similis efficitur; quiq; pulsans est ex motu arteriarum: sanguis enim multus, tenuis, calidusq;, in affectæ partis arterijs conclusus, fit doloris causa. Si igitur in partib9 extremis deprehendantur, & secentur, illæ arteriæ, quæ è directo affectæ sedis sunt, dolor penitus cessat,

CAPVT LXIV.

Cautiones in aperiendis arterijs.

I. ARteriam magnam cubiti venæ substratam, similiter eam, quæ in poplite sita est, ne tangito quidem; cùm etiam imprudenter easdẽ vulnerare periculo non vacet Earum enim sanguis difficilè sisti potest, ob tenuitatem, & caliditatem, atq; impetum perrumpentem. Porrò nonnulli volentes quasi vinculo hęmorrhagiam sistere, oborta loci gangręna, extincti sunt. Neq; etiam si supprimatur, facilè vulnus ad cicatricem citra aneurysma (cuius chirurgiâ multi mortui sunt) perduxeris, propter

Periculosa arteriotomia.

aſsiduum pulſum, tunicaſq; craſſas, ac valde duras.

2. ¶ Igitur ſi ita neceſsitas poſtulârit, præſtat maiorem arteriam totam obliquè in tranſuerſum incidere: nam vtrinq; ipſius extremis retractis, ac vulneri adhibito emplaſtro, poſtea ſiſtitur.

3. ¶ Minores autẽ arterias, quæ in ſummis artubus, capite, manibus, ac pedibus ſitæ ſunt, poſsumus extra hęc pericula ſecare: vtpote quæ haud ita difficulter agglutinari queant; multò verò magis in humido, molliq; corpore; quale puerorum, & mulierum.

CAPVT LXV.

Quæ arteria in quo morbo cædenda.

Quæ arteria in quo morbo cædenda.

1. IN temporibus ſectæ arteriæ, calidas, acreſq; oculorum fluxiones inhibent; quarum cauſa totæ diſcinduntur, vel inurũtur ferro candente, vel cauſtico medicamento: Vnde D. proſper Alpinus lib. de med. Ægyptiorum, ibi plerunq; ſecari arterias frontis narrat, ad antiquatas, ac deſperatas ophtalmias.

2. ¶ Ponè aures ſecantur in vertigine, diu-

diuturnis capitis doloribus calidis, atq; ſpiritus plenis, in faciei rubore, & quibuſdã alijs capitis affectibus inueteratis. Idem D. Proſper dicit, plerunq; frontis arterias in capitis malis ſecari.

3. ℂ In hepatis inflammatione arteriam ſecant, quæ eſt inter pollicem, & indicem. Eandem ſecant in antiquis laterum doloribus inter viſcera, & diaphragma obortis.

4. ℂ Iuxta Malleolum ſecta, vetuſtos lenit coxendicum dolores, qui iam diu inualuêre.

Cautio.

SEmper eius arteriæ delectus habeatur, quæ è directo affectæ ſedis eſt; ad quam ne accedendum quidem fuerit, corporis totius prouiſione neglecta. Cautio.

CAPVT LXVI.

Modus ſecandi arterias, earumq; vulneratarum remedia.

1. ARteriam, prout & venam, vnica inciſione, eàq; obliqua, ſecant.

2. ℂ Paruum vulnus faciunt.

 3. Redu-

Remedia Arteriarum vulneratarum

3. ℭ Reductis, ac iunctis labijs parum bombacis imponunt.

4. ℭ Quidam thuris, vel lentis, pulueris parũ inſpergunt. Deinde bombacem, mox æneum nummum, craſſum inſtar Sikini, imponunt, & ligant, tertio die ſoluunt.

5. ℭ Aures etiam intus, foris, & nares ſcarificant, & aqua calida lauant. Cætera, ſi opus eſt, vide ſuperiùs capite 58. num. 7. 8. 9. & 10.

Finis Lib. primi.

LIBER II

Praxis Phlebotomiæ Particularis.

Præfatio.

CVM *sanguis aliqua in parte ita inhæsit, vt nec apertâ venâ, nec pharmaciâ, reuelli que t, ab ea præcipuè parte, quæ offenditur, extrahendus remedijs, quæ ei ipsi parti vindicandæ insideant, cuiusmodi sunt:* Hirudo, Cucurbita, Scarificatio, *vel* simul Cucurbita cum Scarificatione, *quæ à parte læsa sanguinem manifestè* eliciunt. De *quibus omnibus sigillatim dicendum est: hæc enim quatuor genera vacuationis (vt lib. 1. cap. 5. num. 2. diximus) phlebotomiam particularem concernunt.* Inter *quæ* Hirudo *vermis primò nobis obrepit.*

Primũ genus phlebotomiæ particularis.

Hirudo.

CA.

CAPVT I.

Vtilitas Hirudinum.

Vtilitas Hirudinum.

1. INter præsidia sanguinis vacuatoria sanguisugæ quoque commemorantur: nam veteribus crebro in vsu fuêre. Hac tẽpestate vsus earum in aliquibus locis esse ferè iam desijt.

2. ¶ Hirudo morsu trifidum vulnus infligit, quod nõ cutẽ modò, sed altiùs quoq; si ea tenella, qualis infantium, puerorumque est, penetrat.

3. ¶ Cæterùm hirudines non eum, qui in profundo hæret sanguinem eliciunt, sed eum duntaxat, qui carni adhæret: quare cucurbitularum vicem supplent.

4. ¶ Si hirudo in prominentem venam fuerit infixa, tum pro scalpello, & phlebotomia est. Ita quidem ex hæmorrhoide tam copiosum interdum sanguinem euocat, vt emplasticis adstringentibusque medicamentis opus sit.

5. ¶ Et puerorum cubito infixa, phlebotomiam exæquat.

6. ¶ Quæcunque sic è vena caua haurit, pro vniuersali vacuatione habenda est.

7. ¶ Quæ autem duriusculæ cuti, aut ei parti,

parti, cui nulla sit amplior vena subiecta, adhæret, quam tantùm partem attigerit, euacuat: Aut certè non eum, qui in profundo hæret, sanguinem eliciunt, sed eum duntaxat, qui carni adhærescit: Quocirca cucurbitularum vicem supplet, ac ijs duntaxat partium vitijs exsugendis adhibetur, qui in summa sunt cute, vt scabiei, vitiligini, impetigini, pano, nasi, facieiq; robori, & elephanticorum tuberculis.

CAPVT II.

Vt hirudines præparandæ.

I. Hirudines captæ, aliquot diebus incarcerentur, vt cicurentur: sic etenim famelicæ, carnes, quibus affiguntur, auidiùs apprehendent.

Hirudines vt tractandæ.

2. ¶ Eas autem, quæ recens captæ sunt, ob suam virulentiam applicare non satis tutum est; sed vno die passæ exiguo sanguine asseruandæ sunt: sic enim, quod in ijs virulentum est, exprimitur. quia sanguini, quem hauserunt, cedit.

3. ¶ Vbi autem parti iam adhærent, nec sanguinem satis ad sese trahunt, forfice caudæ earundem præcidendæ sunt: quippe

ſanguine effluente trahere non deſinent, donec ipſe ſua ſponte decidant.

4. ¶ Si verò ſua ſponte haud deciderint, ſalem, aut cinerem, ori ipſarum inſpergere oportet, mox decident.

CAPVT III.

Quomodo pars, cui adhibentur, præparanda.

Præparatio partis ad hirudines.

1. PArs, cui ſanguiſugas affigere conſilium eſt, priùs intrò eſt perfricanda, tum vt incaleſcat, tum vt ſanguis ex alto in ſummum euocetur.

2. ¶ Aut certè inungenda aliquo calorifico, atq; ex profundo in ſummum trahente medicamine.

3. ¶ Aut ſi prædictis fueris orbatus, ſaltem vnguibus erit ſcalpenda: ita enim promptiùs apprehendent.

4. ¶ Vbi appoſitæ fuerint, iamq; adhæſerint, oleum tepidum particulæ affundes, ne refrigeſcat: hac enim refrigerata, haud facilè ſanguis ad hirudinum ſuctum ſequitur; vt qui à frigore craſſeſcat, & ad interiora propellatur.

CAPVT IV.

Modus affigendi hirudines.

1. ANtequàm apponantur hirudines, in vas purum, aquæ tepeſcentis plenū, & amplum, conijcere eas neceſſe eſt: poſtea ſpongiâ comprehenſas, abſterſaſq́; , ac ſordibus purgatas, manibus affigere.

Modus applicandi hirudines.

2. ¶ Purum autem debet eſſe vas, quò ſordes meliùs detergi queant.

3. ¶ Ob eam quoq́; rem aquam eſſe tepidam oportet: ea enim ad exterſionem commodior frigidâ.

4. ¶ Amplum, vt manibus commodiùs attingi, adeòq́; ſordes comprehenſæ maiori facilitate abſtergi poſsint.

5. ¶ Quòd ſi ex manibus, aut pedibus, earundem ſuctu quippiam ducendum erit, vt manibus apponantur non expedit: ſed membrum aquæ, cui innatant ſanguiſugæ, immergere neceſſe eſt: ſic equidē ſua ſponte, abſq́; manuum noſtrarum auxilio, id apprehendent.

CAPVT V.

Cui parti in quo morbo hirudines sint affigendæ.

Hirudinibus curatur Cephalalgia frigida.

1. IN Cephalalgia frigida, id est, dolore capitis ex frigida causa, ad materiam auertendam, sanguisugæ venis eminentib9 circa locum affectum applicabũtur; aut extremitati nasi. Hic quoq; notandum, quòd prædicta sanguisugarum applicatio couenit etiam in Cephalæa.

Melancholia.

2. ℭ In melancholia sanguisugæ fronti, alijsquè locis, appositæ, auertunt à cerebro humores. Sed priùs vniuersum corpus vacuatum esse debet incisione medianæ, si æger sanguine abundet Melancholico.

Epilepsia.

3. ℭ In epilepsia sanguisugæ fronti appositæ, aut alijs conuenientibus locis ipsius capitis, auertunt humores ad cerebrum ruentes.

Apoplexia debilis.

4. ℭ In apoplexia debili (nam fortis incurabilis) humores à capite auertemus, si hirudines lumbis, scapulis, natibus, venis iugularibus, inferioribusq; partibus, hypochondrijs exceptis, ne musculis abdominis impedimento simus, qui respirationi inseruiunt) applicentur, modò venæ sectionem vires non patiantur, aut venæ ita lateant,

vt administrari non posit. Maiori autem cum commodo iugularibus affigētur venis: eò quòd maioribus viribus auertant ibi hærentes, quàm alijs locis dictis, si apponantur.

5. ℭ In mania, seu insania, hirudines sincipiti, alijsq; partibus capitis per ambitū admotæ, humores à cerebro auertunt. Idē præstat sectio Saphenæ. Mania.

6. ℭ In phrenitide, vt humoris impetus ad caput sistat, sanguisugas fronti, temporibusq; admouere poterimus, cùm morbus ad statum tendit. Phrenitis

7. ℭ In ophtalmia hirudines venis frontis applicitæ, aut post aures, si venæ sectio omissa ob aliquam causam fuerit, materiam ad oculum ruentem auertit. Ophtalmia.

8. ℭ In hæmorrhagia, seu profluuio sanguinis, narium, sanguisugæ applicitæ post aures, aut sedi, si hæmorrhoides fluere consueuerint, & suppressæ sint, sanguinem fluentem ad alias corporis partes auertunt.

9. ℭ In angina, hirudines inferioribus partibus primò affixæ, hinc superioribus, motum humorum á gutture, & faucibus, auertunt. Angina.

10. ℭ In pleuritide sanguisugæ apponentur, si vena non appareat; potissimùm Pleuritis.

quidem in pueris, & senibus; caudæq; earum hic præcipuè abscindentur, vt plus sanguinis proliciant.

Sputatio sanguinis.

11 ¶ In sputatione sanguinis à rupta, aut aperta, vena, sanguisugæ pectori admotæ, sanguinis impetum auertunt.

Tumor splenis.

12. ¶ In tumore splenis sanguisugæ venis, quæ ad lienem nigricant, admotæ, lien corroborant, reliquiasq; resoluunt, ac intemperiem relictam corrigunt.

Pestis.

13. ¶ In peste hirudines cruribus, humeris, natibus, aut dorso, ijsq; locis, vbi bubones emergere solent, affigentur: & potissimùm hoc fiet, si venæ sectio prohibeatur; contingit equidem sæpè hoc medio humores venenatos sic trahi ad locum, vbi spes est bubonem emersurum; multum autem sanguinis educemus. Tuberculis quoq; erumpentibus admouendæ erunt hirudines multæ, vt à corde auertatur vis veneni, & ne intrò rursus se subducat; quod sæpè fit.

Scirrhus hepatis.

14. ¶ In scirrho hepatis, siue etiam scirrhoso tumore, si ob suppressas hæmorrhoides affectio gignatur, stante multitudine, præmissâ phlebotomiâ dextri cubiti, in viris hirudines venis sedis applicabimus.

Inflammatio lienis.

15. ¶ In inflammatione lienis, si orta sit ex retentis hæmorrhoidibus, stante multitudine,

tudine ſecetur primò Baſilica ſiniſtri cubiti, poſteà viris hirudines in venis ſedis applicentur: nulla verò exiſtente phlethora, ſolæ hirudines affixæ ſufficient.

16. ℭ In Cachexia, ſi orta ſit ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus in viris, ſtante multitudine, primò ex Baſilica, vel Communi dextri cubiti; ſanguis mittatur, mox hirudines in venis ſedis ponantur.

Cachexia

17. ℭ In febribus prægnantiũ, ſi vrgente neceſsitate, phlebotomiæ tamen vſus tutus non ſit; eiuſdem vicariæ erunt hirudines ad axillas, aut inguina, reuulſionis gratiâ, affixæ.

Febres prægnantium.

18. ℭ Sic & in alijs affectibus quàm plurimis ſanguinem, conuenienter loco, in quo hæret, affixæ, extrahunt. Imò etiam ramis venę portæ (hęmorrhoides dictis) applicatæ, ſanguinem craſſum, & fæculentum, ex iecore, liene; ventriculo, inteſtinis, & meſenterio, eliciunt.

Iecur, lien. &c.

CAPVT VI.

Tempus detrahendi hirudines.

Tempus remouendi hirudines.

1. DEtrahendæ hirudines, vbi dimidiã vitiosi, ac redundantis, sanguinis partem esse extractam coniectura assequuti fuerimus: prohibemus enim, nec patimur effluere, donec, quod satis est, excretum fuerit, quod particula ipsa tum ab hirudinibꝰ naturâ frigidis, tum ab aere ambiente, refrigescat. Retinendum igitur aliquod sanguinis, vt hinc pars incalescat.

CAPVT VII.

Vulnus inflictum à hirudinibus vt sanetur

Remedia Vulneris à hirudine inflicti.

1. POsteaquàm sanguisugæ deciderunt, cucurbitulâ appositâ virus earundẽ extrahere necesse est.

2. ¶ Aut si cucurbitularum vsus displicuerit, spongiâ pars, cui admotæ sunt, foueatur: hæc enim, præsertim vbi noua fuerit, maximè desiccat, adeoq; virulentiam, quæ relicta est, discutit, dissipatq;.

3. ¶ Quòd si verò foraminibus cutis cruentæ effluxerint lachrymæ, cyminum, quòd illi desiccandi, & fluores cohibendi, insit vis; aut farinam, quæ emplasticam obturandi virtutẽ continet, inspergere cõuenit.

4. Dein

4. ℭ Dein partem lanâ, quæ modicum oleum imbibit, inuoluere, ac circumdare, oportet: lana siquidem (auctore Dioscor.) vulneribus, vtilissimè imponitur, vt sanguinis eruptionem compescat; oleo tamen, vtpote cui obturandi facultas inest, imbuta efficacior redditur.

5. ℭ Si verò sanguis cum impetu erumpat; linteum, aceto imbutum, inijciendum: acetum enim (vt ait Dioscorides) adstringit; & vndecunq; promanantem sanguinē in spongia, aut succida lana; impositum, sistit.

Aceti vires.

6. ℭ Vel certè galla vsta, vel spongia liquida pice madens, & dein vsta applicanda: hæc enim omnia glutinandi facultate sunt prædita.

Secūdū genus phlebotomiæ particularis, Cucurbitula.

CAPVT IIX:

Cucurbitis vnde nomen, & causa tractionis.

Cucurbita quid. Cels lib. 2. c. 11.

1. CVcurbita, seu cucurbitula, instrumẽtum, quod, *si concisa antè scalpello cutis est, sanguinem extrahit; si integra est, spiritum*, à forma hoc nomine insignitum.

Ventosa quare dicitur.

2. ¶ Vocatur vulgò & *Ventosa*: quòd vẽtis, seu spiritibus, è corpore euocandis, sit accommodata. Vnde illud Satyrici:

Iamdudum caput hoc ventosa cucurbita quærit.

Causa tractionis cucurbitarum.

3. ¶ Porrò ratio tractionis cucurbitarum ex odio, fugaq; vacui in rerum natura proficiscitur: cùm enim aer, ventusq; ipsarum intus, vel ore exsuctus, vel igne consumptus fuerit, necessariò qua parte cuti affiguntur, scarificatæ quidem (vt dixi) cruorem, integræ verò flatus vehementer, ac citò, primò proximos quosq;, ac tandẽ remotiores, proliciunt.

CAPVT IX.

Genera, & materia, cucurbitularum.

Genera cucurbitarum.

1. DVo antiquis cucurbitularũ genera fuisse reperimus: Æneum, & Corneum. Ænea altera parte, qua corpus attingit, patet, altera clausa est. In hanc linamentum ardens conijcitur, ac sic ôs eius corpori aptatur,

ptatur, imprimiturq́;, donec inhærescat.

2. ℭ Cornea illâ quoq́; eadem parte, atq́; superior, patet, summâ verò foramen habet exiguum. Hæc per se corpori imponitur, deinde vbi ea parte qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superq́; cera cauum id clausum est, æquè inhærescit.

3. ℭ Cornearum vsus summè commendabatur, vbi exsiccationis subesset periculum: siquidem quantumuis æneis minùs trahant, vicinas tamen partes non exurunt, vel quoties vix auelli posse suspicio esset, vt in capite; aut si timidior sit patiens, nec flammam sustinere poßit, cui affigenda sit.

Æneaꝝ, & cornearum vsus inter se collatio.

4. ℭ Vtraq́; hodie non ex his tantùm materiæ generibus, sed etiam ex quolibet alio rectè fit. Nam vitreas commenti sunt; idq́; ideo vt sanguinis, qui euacuatur qualitas, & quãtitas in euacuando pellucesceret: sed hę quũ flammã copiosiorẽ non sustineant, æneis longè sunt inefficaciores. Argẽtearum quoq́; vsus aliquando fuit: sed quoniam vehementiùs ignirentur, reiecit antiquitas. Hodie præterea videmus conflari ex ligno, argilla, & plumbo; quarum vsus prout minùs probatus, ita vulgo relictus.

Materia proxima vtriusq́; generis cucurbitarum. Cucurbitæ æneæ præferuntur aliis.

CAPVT X.

Figura, eiusq; vsus, cucurbitarum.

Figura Cucurbitarum, eiusq; vsus

1. CVM cucurbitulæ plurimùm figurâ inter se differant, de ea dicendum. Altiores enim (vt auctor est Oribasius) magis, quàm humiliores, trahunt; quæq; humiliores sunt, quia non vehementer attrahunt, capiti sunt accommodatæ.

2. ¶ Quæ habent plana labia, corporibꝰ latis; quarũ labia resima sunt, corporibus curuis, & gracilibus, aptiùs accommodantur.

3. ¶ Quæ acutũ os habent, ijs conueniunt, in quibus non scarificamus, sed vehementi impositione cucurbitarum, quas leues affigimus, attrahere volumus, quum acumen labiorum ad violentum attractum faciat.

4. ¶ Quæ labra habent obtusa, cũ in alijs, tum vel maximè in capite vtimur.

Figura membri etiam cõsideranda

5. ¶ At quoties admoturi sumꝰ cucurbitulas Particulæ in rectũ figuratæ, ex latere eandem affigimus; *si enim* (vt docet Paulus ex Ægina) *iacentibus ipsis desuper linamentum cum flamma ex lucerna inducamus, ex cute decidit illa, grauiter adurit, vsu hoc ipsum postulante.*

CAPVT XI.

Vsus, & vtilitas, leuium cucurbitularum.

I. CVcurbitarum affigendarum duplex est ratio: aliæ enim cum scarificatione, id est, cute incisâ, admouentur, aliæ verò sine scarificatione, id est, cute ferro antè non exasperata; atque illæ cucurbitæ scarificatæ, hæ verò leues nominari consueuêre, eò quòd leuiorem, id est, minorem molestiam, quàm priores, applicitæ facessant patienti. De his itaque præsenti capite verba faciemus, de illis postea.

2. ¶ Cucurbitula quæ citra scarificationem applicatur, ac leuis nuncupatur, aut cum igne (vt dixi) admouetur, aut cũ aqua tepida, in qua decoctæ sint herbæ emollientes: atque huiusmodi (auctore Celio) spiritum, seu inflationem, duntaxat extrahit: *Vbi, inquit, inhæsit, si concisa antè scalpello cutis est, sanguinem extrahit: si integra est, spiritum. Ergo vbi materia quæ intus est, lædit, illo modo: vbi inflatio, hoc imponi solet.*

Cucurbitæ leuis applicandi modus lib. 2. cap: II.

Cucurbita extrahit Spiritum.

3. ¶ Sed & Galenus ipse dolori á flatibus originem ducenti exquisitè mederi docet:

Cucurbita dolori

medetur. *Dolor, inquit, qui spiritum flatuosum comitatur, propriam quandam curationem sortitus est ex cucurbitula cum flamma copiosa multoties admota, videbiturq; præsidium hoc in huiusmodi morbis incantamenti cuiuspiam quid simile efficere, siue in intestinis, siue in quauis corporis particulâ sint excitati, ilico enim cucurbitula admota, qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tum omnino sani redduntur.*

Cucurbitæ multi effectus.

4. ℭ Paulus verò multò plura commoda leuis cucurbitulæ in hunc modum recenset: *Leuis, ait, cucurbita inflationem discutit, destillationes in stomachum suspendit, sanguinem extrahit, & profluentem rursus sistit, obiectis partibus admota, & quod altè conditum est, in summa rursus educit, resiccatq;.*

5. ℭ Ex his nos, tanquàm vniuersalioribus colligimus hæc specialia. Siquidem cucurbitæ (Paulo docente) sanguinem extrahunt (intelligit autem per sanguinem humorem, tàm eum qui parti iam heret, impactusq; est, quàm eum qui in alto corporis demersus est) necessarium est stuporis, paralysis, inueterati doloris, luxationis partis alicuius cucurbitas accommodatum esse remedium, horum enim affectuum humores intus existunt.

Cucurbita quos morbos curet.

6. ℭ Præterea, cum (vt auctores sunt Cel-

sus,

ſus, & Galenus) cucurbitula flatus intus abditos, ac ſpiritus quauis ſede coercitos euocet in ſummum, eadem quoq; cucurbita palpitationem, ſingultum, colicum, nephriticumq; crutiatũ, etiã neceſſe eſt compeſcat: ſi quidem horum morborum cauſa ſunt flatus, vaporeſue, qui in vitio ſunt. *Ex his ſimilia colligere licet; quorum aliqua, exempli gratia, ſequenti capite ponimus.*

CAPVT XII.

Cui parti in quo morbo cucurbitulæ leues affigendæ.

1. SAnguine ſupra modũ è narib9 erumpente, cucurbitulas hypochondrijs affigimus. Inſigemus autem ſuper iecore ſi ex dextra nare promanat ſanguis: ſin ex ſiniſtra, ſuper liene: ſi verò ab vtráq; nare profluit, ſuper vtroq; viſcere ſunt ponendæ.

Cucurbitulis leuibus curatur Hæmorrhagia nimia narium.

2. ℭ Imbecillum ventriculum roborant: naturali enim eius appetentia excitata, vt ſtatim nutritio ſequatur, efficiunt; nutritas verò partes comitatur robur. Affigendæ hic natibus, & coxis.

Imbecillus ventriculus.

3. ℭ In paralyſi cucurbitulæ principio neruorum, ſeu ſpinalis medullæ, affigantur,

Paralyſis.

ſicq;

ſicq́; paulatim ad membrũ reſolutum tranſ-ferantur, vt ſpiritus, calorq́; natiuus ad ea trahatur, facultaſq́; ſopita excitetur. Ne autem vires diſſoluantur, ſit ventoſarum mora breuis.

Melancholia. 4. ¶ In melancholia cucurbitulæ hypochondrijs vtiliter apponuntur: auertunt enim à cerebro humores. Sed hoc poſt totius corporis euacuationem fieri debet.

Apoplexia. 5. ¶ In apoplexia debili humores à capite auertemus, ſi cucurbitulæ lumbis, ſcapulis, natibus, venis iugularibus, inferioribuſq́; partibus (hypochondijs exceptis: ne muſculis abdominis impedimento ſimus, qui reſpirationi inſeruiunt) applicentur, aliquando leues, ſubinde etiam cum ſcarificatione, modò venæ ſectionem vires non patiantur, aut venæ ita lateant, vt adminiſtrari nõn poſſit. Maiori autem cum commodo iugularibus affigentur venis, eò quòd maioribus viribus auertant ibi hærentes, quàm alijs locis dictis, ſi apponantur.

Aſthma. 6. ¶ In aſthmate, dum à vijs per quas ſpiritus inſpiratur, ſeu pectore, materiam ruentem auertimus, cucurbitulæ humeris affigentur tempore ſuffocationis, & cùm difficulter admodum ducitur ſpiritus, paulùm ſupra tenes vbi diaphragmatis, pulmonũq́;

portio

portio quiescit, vna magna cucurbita cum commodo dorso è regione cordis applicabitur, si materia sit ventosa. Matutino autem id fiet tempore.

7. ℭ In lethargia, seu veterno, cucurbitulæ occipitio, necnon primæ, secundæq́; vertebræ appositæ; item clunibus, cruribusq́; nonnullæ earum cum scarificatione, aliæ absq́; ea, plurima tamen cum flamma, retrahunt, diuertuntq́; à cerebro materiam mali, ægrotumq́; excitant. *Lethargia.*

8. ℭ In loquela impedita (genita ab humiditate cerebri; diuertimus, materiam cucurbitulis. *Loquela impedita*

9. ℭ In singultu cucurbitulæ dorso, iuxta duodecimam vertebram, scapulis, vmbilico, postea ori ventriculi cum plurima flamma appositæ; humorum fluxum ad vētriculum impediendo auertunt; magna ex parte, dum à flatibus fit malum. *Singultus*

10. ℭ In colica, atq́; iliaca passione cucurbitula magna vmbilico affigatur; atq́; loco affecto: maximi enim sæpè est iuuamenti, reuellit siquidem materiam, siue spiritus, à colo intestino. *Colica & iliaca passio.*

11. ℭ In calculo renum, atq́; vesicæ, cucurbitulæ secundùm ductum vasorum diureticorum applicentur; idq́; vna post aliā, *Calculus renum & vesicæ.*

 ad pu-

ad pubem descēdendo obliquè: adeò enim coaceruatim mouent lapidem, vt dolores repentè supprimantur, lapide nimirum in vesicæ amplitudinem transuecto.

Tussis infantium.

12. ¶ In tussi infantium (cuius causa proxima, descendens è cerebro portio humoris pituitosi, crassi, & flatuosi in thoracem) cucurbitulæ leues ceruici, & scapulis affixæ ab intimis capitis partib9 ad extimas destillationis materiam remouent.

CAPVT XIII.

Quæ ante cucurbitularum affixionem præparatio afferenda.

Cucurbitis corp9 præparādum.

1. CVcurbitulis non erit vtendum priusquàm vniuersum corpus fuerit vacuatum: aliàs ad locum, cui admotæ fuerint, loco vacuationis, totum magis replebunt. Quod in omnib9 localibus remedijs, quæ alicui certæ parti ita applicantur, vt à reliquis nihil trahant, perpetuò obseruandum erit. Talia autem sunt, præter cucurbitas, Hirudo, & Scarificatio.

Plethora & phleg-

2. ¶ Summopere igitur cauendum, ne in plethoricis, ac cerebri, eiusq; membranarum

narum inflammatione, quæ priuatim Græcis phrenitis nuncupatur, in principio mali cucurbitis vtamur, ficuti nec vllo alio in loco phlegmone occupato: cum potiùs à parte affecta humorũ influxus magis auerti debeat.

mone cucurbitas procul arcent.

3. ¶ Verùm vbi iam nihil influit, corpusq; totum antea vacuatum est, atq; aut mouere, aut amoliri, quæ in parte affecta phlegmone existit, aut foras extrahere, oportet, cucurbitulas affigere optimum consilium erit.

4. ¶ Cùm verò vitia adhuc fiunt, non ijs partibus, quæ ægrotare incipiunt, sed ijs potiùs, quæ eis coniunctæ sunt, & continuæ, causa reuulsionis cucurbitæ admouendæ.

5. ¶ Non debent apponi, (si necessitas non vrget) crescente Luna, sed in plenilunio: quia tunc maximè abundant humores.

Astrologicum.

Tertiũ genus phlebotomiæ particularis, Scarificatio.

CAPVT XIV.

Scarificatio quid, vnde vacuet, quiq; eius terminus, figura, qualitas, ordo, & commoda.

Scarificatio quid. 1. SCarificatio est nihil aliud, quàm citra cucurbitulam, epidermidis, id est, primæ cutis (quæ vno vocabulo vulgò cuticula dicitur) incisio.

Scarific. vnde vacuet. 2. ℂ Vacuat è sola parte diuulsa; nisi fortè venam conuulneret: exitum enim facit humori subiecto; nec tamen vi quicquã ex alto, aut è longinquo, trahit. Quò autẽ altiùs scalpellus adactus fuerit, eò quoq; vberior sanguinis fit effusio.

Termin9 scarific. 3 ℂ Terminum autem diuisionis, moderatæ altitudinis solam cutis crasiciem, statuunt.

Figura scarificationis. 4. ℂ Ac pro loci affecti varietate diuisionum discrimina variant: siquidem crurib9, dorso, abdomini, thoraci, ceruici per rectitudinem scarificant; at in capite pro situ capillorum; in fronte obliquas faciunt.

Qualitas 5. ℂ Cutim scalpello exasperant, ita vt incisi-

incisiones æquali inter sese magnitudine, atq; æqualia sint, quæ inter eas sunt, interualla

Scarific.

6. ℭ Initium scarificationis ab inferioribus partibus semper sumunt.

Ordo scarific.

7. ℭ Expurgandæ cutis remedium est, ac earundem quoq; affectionum, quibus diximus sanguisugas auxiliari: quinetiam earum, quæ in cutem eruperunt, eiq; iam contumaciter obhærent: vt sunt scirrhi, inueteratæ inflammationes, ac cuiuslibet corruptæ materiæ. Præterea sphaceli, gangrenæ, & aliorum, in quibus natiuus calor strãgulatus ventilari indiget.

Commoda scarificationis.

8. ℭ Si apponamus sal, & oleum post scarificationem, non consolidabitur, sed apertè manebit.

Quartũ genus phlebotomiæ particularis, Cucurbitula simul cũ scarificatione.

C A P V T XV.

Vſus, vtilitaſq; Cucurbitulæ ſimul cum Scarificatione.

Cucurbitæ ſcarificatæ vſus & vtilitates.

1. QVædam ſunt cucurbitulę, quæ cum ſcarificatione vnà admouentur; id compoſita quaſi vacuatio dici poteſt: quia quod aliàs duabus vicibus expeditur, vnâ eadêmq; trahimus ſpiritus (qui & flatus, & inflationes, & vapores nominantur) & ſanguinem.

lib 2. cap. 11.

2. ℂ Vſus autem huius generis phlebotomiæ particularis eſt (vt ait Celſus, vbi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt. Idq; ipſum teſtimoniũ eſt, etiam ſcalpello ſanguinem, vbi membro ſuccurritur, ab ea potiſsimùm parte, quæ iam læſa eſt, eſſe mittendum, quòd nemo cucurbitulam diuerſæ parti imponit, niſi cùm profuſionem ſanguinis eò auertit, ſed ei ipſi quæ dolet, quæq; liberanda eſt.

3. ℂ Largiùs autem, ac vberiùs, ſcarificatio ſanguinem profundet, ſi protinus adhibeatur cucurbitula. hęc enim vi flammę, atq; caloris, non modò quicquid tenuis, fluxi.

fluxibilisq; humoris, ac spiritus, partē circū fundit, sed & quod in locis distantioribus, penitioribusque inest, validissimè trahit. Proindeq; cucurbitula scarificata interdum solo venæ sectionis est.

4. ℭ Nam admouetur scarificata cucurbitula, vbi inflammationis materia reuulsionem sui indicat; idq; statim morbi initio.

5. ℭ Particulæ verò ipsi inflammatione obsessæ, humoribus adhuc ad eam confluentibus, non applicandæ imò potiùs ab eâ quàm longissimè auertendum; alioqui plus, ratione excitati doloris, ad eam attraheremus. At vbi phlegmone iam facta est, cucurbitæ apponendæ, vt humores iam impacti, hærentesq;, extrahantur.

6. ℭ Cucurbitulæ cū scarificatione admotæ partibus tensis, humores, tensionem efficientes, educunt.

7. ℭ Acrem fluxionem, quæ partibus adiacet, euacuant, faciuntq;, ne deinceps ab ea irritentur, ac molestentur.

8. ℭ Materiam ab vna parte in aliam transferre possunt, V. G. laborans capite, crura scarificabit.

9. ℭ Materiam in corpore redundantem minuunt; maximè verò si ista redundantia prouenîat à materia quæ statis tem-

pori.

poribus vacuari solita fuerat, veluti si hæmorrhoides in viris, menses in mulieribus, supprimantur, crura scarificamus.

10. ℭ Venenum, quod à rabido animali, vt cane, scorpione, & id genus alijs, immissum est, extrahunt.

11. ℭ In summa: cuicunq; particulę cum cutis scarificatione affixa fuerit cucurbita, huius sanguinem elicit, exsugit, vacuatq;, & quicquid ad sequendum est promptissimum.

12. ℭ Ideóq; vbi sanguinem mitti opus est, huc potiùs confugiendum est. Cum eo tamen, vt sciamus, hîc leuius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æquè vehemens auxilium succurrere.

CAPVT XVI.

Cucurbitæ vtriusq; nocumenta.

Incommoda cucurbitæ recensentur.

I. CElsus cucurbitularum vsum omnino periculo liberum pronunciare videatur, quum tamen Aetius longè aliter sentire videatur; præsertim si ante totius corporis euacuationem fiat. Dicit autē in hunc modum: *Illud porrò nosse expedit, quòd non*

solùm

solùm localis venæ sectio detrimento est, antequã vniuersum corpus euacuetur, per affectas partes sanguinem detrahens; sed etiam cucurbita.

¶ 2. Et *venæ quidem sectio minùs periculosa est: pro ratione enim allationis materiæ etiam sanguinis excretionem facit: cucurbita verò tum impetu affixionis violenter materiam attrahens, tum multum locum occupans, & tamen neq; vasis sensibilem fissuram faciens, attrahit quidem memorabilem materiam, non euacuat autem prò ratione attractæ.*

3. ¶ *Et præcordijs quidem intempestiuè affixa, præsertim in continentibus febribus, & semi tertianis, & maximé etiam si mens ægri fuerit turbata, & sensus sit obtusus, strangulatum, & mortem eâdem die inducit.*

4. ¶ *Capiti verò intempestiuè admota, lethargos, & corporis & mentis stuporem, & oculos prociduos facit.*

5. ¶ *Quibus autem contigerit, vt hæc effugiant, hi omnino in diuturnum aliquem capitis affectum hinc incidunt.* Hactenus ille.

6. ¶ Neq; ab hoc dissonat canon Auicennæ, qui sensum, & intellectum hebetari dicit, si sincipiti adhibeantur; si occipitio, obliuionem inducere.

7. ¶ Ægyptij quoq; cauent à cucurbitis occipiti admouendis, idq; in capite frigido

humido, raro, molli: ne nimis cerebrum refrigeretur.

8. ℭ Ijdem in pestiferis febribus non affigunt cucurbitas dorso: affirmant enim viscera impleri, ac tenuem solùm sanguinem abduci, cutimq; obstrui, ac refrigerari. Tū tamen aduerte, huius periculi nullum esse metū à toti9 euacuatione; maximè si corpus scateat crudis, ac crassis succis: & si materia cor non feriat: alioqui præstat cucurbitis procul à corde abstrahere succos, & postea dorso has admouere deriuationis causá.

9. ℭ Cucurbitæ supra anteriorem capitis partem positæ, sensum, & intellectum impediunt.

10. ℭ Cucurbitæ supra nucam (est medium colli) positæ, valde nocent memoriæ.

11. ℭ Affixæ in imo colli, debilitant os stomachi; tremoremq; cordis generant.

12. ℭ Applicatæ supremo collo, causant capitis tremorem.

13. ℭ Inter duas spatulas, ventriculum debilitant, cordis tremorem generant; aliàs vtiles.

14. ℭ Super occiput, & summitatem capitis positæ, faciunt hæreditare stupiditatem,

tem, obliuionem, malitiam cogitationum: impediunt intellectum: caniciem accelerant: suffusionem (oculorum morbus est) augent.

15. ¶ Verùm etsi hæc quàm maximè sic se habeant; tamen si ignobilioribus partibus affigantur, vt ferè fieri assolet, sanguinis missione periculi minus afferunt; præsertim vbi plethora aliqua morbi suspicionem nobis infert, neq; viscera, quæq; in toto corpore insunt vasa, immoderatè repleta sint, neq; distendantur, tum enim periculum id, quod à nimia attractione metuendum dicit Aetius facilè subterfugiemus: ac in ijs quoq; qui ex virium imbecillitate phlebotomiam non admittunt, tutiores sunt cucurbitæ, vt rectè infert Celsus, aut alioqui si sæpè in año reiteranda sit phlebotomia, quòd cum sanguine copioso è vena vitalis excernatur spiritus, eo autem copiosiùs exhausto, vniuersa corporis moles refrigeretur, omniaq; munia naturalia deteriùs obeantur.

Vide etiā lib. 1. c. 5. f. 3. n. 3.

16. ¶ Si quando tamen necessitas vrgeat, non ignobilioribus, sed principalibus, aut neruosis alioqui quæ facilè contraherētur, aut conuellerentur, partibus affigendæ sint cucurbitæ, vtputa capiti, hypochondrijs,

drijs, &c. tum demum, vt noxam omnem, quoad fieri potest euitemus, corneas affigemus; ex eis enim ore sugentes trahimus, vnde & minor quoq; earum est attractio.

CAPVT XVII.

Præparatio quæ debeat præcedere scarificatam cucurbitam.

Præparatio particulæ aut totius debet præcedere cucurbitã.

1. PArticulæ, cui affigenda erit cucurbitula scarificata balneæ necessariæ sunt: siquidem balnei calore sanguis liquatur, tenuatur, ac soluitur; adeòq; ad tractum, & vacuationem magis idoneus redditur.

Præparatio particulæ quomodo fiat.

2. ¶ Proderit quoq; hoc nomine, scilicet vt particula incalescat, frictione vti.

3. ¶ Hoc idem effeceris, si spongiâ, aquâ calidâ imbutâ, partem foueris.

4. ¶ Si inflammatio, vel quid simile non obstiterit, licebit balneum ingredi, ibiq; breui morâ interiectâ, id est, postquàm mediocriter incaluerit corpus, cucurbitulis scarificatis vti.

Totum

5. ¶ Plethoricum corpus, sicut nullam

dicta-

dictarum præparationem, ita neq; scarificationem sinè sui graui offensione admittere potest. Idem intellige de corpore cacochymo. quare illud priùs phlebotomiâ, hoc pharmaciâ, vacuandum erit.

corpus vt præparandum, & quando.

Caput vltimum.

Cui parti in quo morbo cucurbitula scarificata sit admouenda.

I. CApitis ex plenitudine affectus tum interiores, tum externos, siue etiam modò initium faciant, siue magnitudinem summam impleuerint, deriuant scapularũ, atq; humerorum scarificatus, iniectæq; cucurbitulæ; & sanguinis profusio è naribus; quemadmodum etiam phrenitida, deliria, apoplexias.

Cucurbita scarificata curantur. Capitis dolores.

2. ¶ Oculorum inflammationes, & acres lachrymæ, humerorum ceruicisq; cucurbitulis retrahuntur, inhibenturq; deriuantur autem incisa vena, quæ in alterutrum fertur angulum oculi.

Oculorũ inflammationes.

3. ¶ Pleuritidi cucurbitæ (vbi videlicet locus affectus humorum fluxione iam non

Pleuritis.

amplius grauetur, corpusq; ritè purgatum est) in hypochondrijs, rectè adhibentur; & si res exigat, sæpius reiterandæ sunt.

Melancholia hypochondriaca.

4. ¶ In melancholia hypochondriaca cucurbitulæ cũ scarificatione hypochondrijs, appositæ, si dolor nullus adsit, flatus valde educunt, & reuellunt. Eædem loco affecto affixæ, materiam peccantem educunt. Sed hoc vltimo loco, id est, post clysteres, venæ apertionem, præparationem materiæ, eiusdem eductionem, fieri debet; alioqui magis morbus augeretur, materiâ ad locum affectum attractâ.

Vertigo capitis.

5. ¶ In vertigine capitis cucurbitulæ cũ scarificatione si partibus distantioribus primò, hinc occipitio, apponantur, reuellunt, diuertuntq; vaporum impetum in partem oppositam.

Epilepsia

6. ¶ In epilepsia cucúrbitulæ cum scarificatione scapulis, atq; hypochondrijs, nec non poplitibus, vel malleolis, affigendæ, si per consensum fiat. hinc etiam occipitio. Maximè autem apponentur partibus extremis, si ab illis deriuetur, & potissimùm, si pars ea ligari non possit, vt est matrix.

Spasmus.

7. ¶ In spasmo cucurbitulæ, scarificatæ musculorum principio, aut medio, non fini, appositæ, purgato corpore, morboq;

pro-

progreſſo, & cùm materia iam fluere deſie-rit, auertunt, necnon è parte affecta humo-res euacuant. Sæpè cucurbitulæ ſcarif: col-lo, occipitiq; applicatæ, partes neruoſas corroborant, reliquiaſq; materiæ digerunt, ac diſsoluunt. Sed ab his abſtinendũ, quam-diu cacochymia, corporiſq; plenitudo, af-fuerit: periculum enim eſt, ne maior ex-crementorum copia in partem diſtentam illabatur.

Phrenitis

8 ℭ In phrenitide, vt humoris impetus ad caput ſiſtat, cucurbitæ ſcarif: ſpinæ, oc-cipitio, humeris, natibuſq;, admouendæ e-runt, ſi vena cubiti aperta non fuerit, ob ali-quam cauſam; ſinè ſcarificatione applicen-tur, ſi vena ſecta fuerit.

Suffuſio.

9. ℭ In ſuffuſione, ſeu catarracta, cucurbi-tulæ ſcarif: occipitio affixæ, auertunt mate-riam ab oculo.

10. ℭ. In ophtalmia cucurbitulæ ſcarif: ſcapulis, collo, ſummitati brachiorum, ini-tioq; ceruicis, affixæ, materiam ad oculum ruentem auertunt.

Angina.

11. ℭ In angina cucurbitulæ, inferioribꝰ partibus primò affixæ, hinc ſuperioribus, motum humorum à gutture, & faucibus, a-uertunt.

12. ℭ In pleuritide cucurbitulæ hypo-

chondrijs, inguinibusq; affixæ; hinc etiam humeris, in senibus, puerisq; magis, quàm sanguinis missio, commendantur; nisi vires sint validæ,

Pleuritis non vera

13. ❡ Pleuritis autem si fuerit non vera, tunc, quæ leuiter resoluere possunt, imperabuntur.

℞. Florum camomillæ M. j. ß.
Foliorum rutæ,
Anethi,
Violarum,
Maluæ, an. M. 1. Coquantur in aqua ad tertias; spongia magna immergetur liquori calenti, lateriq; dolenti applicetur mediante panno lineo calente: vt calor diutius conseruetur: hoc multoties repetetur, singulisq; vicibus nouo panno calente, concludatur spongia, dum apponitur.

Tumor splenis.

14. ❡ In tumore splenis cucurbitulæ cũ scarificatione venis, quæ ad lienem nigricant, admotæ, corroborant lien, reliquiasq; resoluunt, atq; intemperiem relictam emẽdant.

Menses nimiùm suppressi

15. ❡ In mensibus nimiùm suppressis cucurbitulæ scarif: inguini, poplitibus, pubi, aut coxæ, affigantur, sanguisq; sic trahatur ad vterum.

16. In pe-

16. ¶ In pestilentia cucurbitulæ cruribus, humeris, natibus, aut dorso, iisq; locis omnibus, in quibus bubones solent erumpere, apponentur cum scarificatione, maximè verò hoc faciemus, si venæ sectionem fieri non liceat: accidit enim hoc pacto humores venenatos sic trahi ad locum vbi spes est bubonem emersurum; Multum autem sanguinis extrahemus. Tuberculis quoq; emergentibus, affigenda erit cucurbita magna, quæ à corde retrahat vim veneni, ne intrò rursus se subducat, quod sæpè euenisse vidimus. — Pestis.

17. ℭ In caro (quomodò differat à lethargo lib j. vide) cucurbitulæ, absoluta, si videbitur, venæ sectione, in spatulis scarificari possunt. — Caros.

18. ℭ In synocho, seu continente, aut ardente febre, pueris vicariam phlebotomiæ operam præstant cucurbitulæ scarificatæ. — Synocho

19. ℭ In tertiana febre periodica, seu intermittente, pueris venæ sectionem impediente ætate, aut viribus, vicaria esse potest cucurbita scarificata. — Tertiana periodica.

20. ℭ In obscuritate visus, seu oculorũ offuscatione, pręmissa phlebotomia vniuersali, cucurbitulas cum scarificatione apponere (ex Aetij pręcepto) non grauabimur. — Obscuritas visus.

Oculus caprinus. 21. ¶ In ægylope, ſeu oculo caprino, ſeu fiſtula lachrymali, præmiſſa ſanguinis miſſione, id viribus permittentibus, ſpatulis cucurbitulæ cum ſcarif: apponentur.

Aurium dolor. 22. ¶ In dolore aurium (à calidis, acribuſq; humoribus genito) præmiſſa priùs venæ ſectione, cucurbitulæ in ſpatulis cum ſcarificatione apponendæ.

Surditas recens. 23. ¶ In ſurditate recenti ſcarificandæ ſunt, poſt inciſionem venæ, cucurbitulæ in ſpatulis.

Parotides. 24. ¶ In parotidibus (ſunt iuxta aures abſceſſus) exiſtentibus ſymptomaticis ex multa materia in principio ortis, facta ſectione venæ, apponendæ cucurbitulæ cum ſcarificatione.

Læſio olfactus. 25. ¶ In læſionæ olfactus (quæ accidit iuuenili ætati, vel conſiſtenti, vel primæ ſenectuti) celebrata phlebotomia, ſi opus fuerit, ex ſpatulis, cucurbitis ibi cum ſcaririf: appoſitis, ſanguis mitti debet.

Polypus. 26. ¶ In polypo, ſi opus fuerit, ſanguis ex ſpatulis mittatur, cucurbitulis ibi cũ ſcarif: affixis.

Dentium dolor. 27. ¶ Id dolore dentiũ, præmiſſa phlebotomia, ſi opus fuerit, ſpatulis cucurbitulæ ſcarificatæ applicabuntur.

Aphtæ. 28. ¶ Aphtæ, quæ adultis ex ſanguine fiunt,

fiunt, à secta vena, si opus fuerit, cucurbitulis in spatulis cum scarificatione appositis, curantur.

29. ℭ In febribus grauidarum, si vrgente necessitate, phlebotomiæ tamen vsus tutus non sit, eiusdem vicaria sit scarificatio cum cucurbitulis ad axillas, aut inguina, vel hirudinibus affigendis, reuulsionis gratia.

Febres grauidarum.

30. ℭ In dolore dentium grauidarum (si quidem certa sit calidæ fluxionis ex doloris specie coniectura) deriuationis gratia cucurbitulæ vel siccæ, vel humidæ, vel frigidæ, & cum scarificatione fient.

Dolor dẽtium grauidarum

31. ℭ In hydrocephalo (est tumor capitis sæpius aquosus, aliquando fæculentus, & cruore liuescente dilutus) vtiles cucurbitulæ cum scarificatione. Sed pharmacia pueritiæ ferè tutior est post leuem vacuationem.

Hydrocephalus

32. ℭ In achoribus, & fauis puerorum, cucurbitulæ cum scarificatione ceruicis, & scapularum, phlebotomiæ vicem supplere possunt.

Achores & faui.

33. ℭ Curatio guttæ rosæ Chirurgis, alijs vitiliginis rubræ, fiet per cucurbitas cum scarificatione in scapulis, & collo.

Gutta rosæ.

34. ℭ In variolis, & morbillis, phlebotomiam tutò supplent (si vrget necessitas)

Variolæ & morbilli.

cucurbitulæ dorso & scapulis cum scarificatione affixæ.

Magnitudo penis.

35. ℭ In magnitudine penis cucurbitulæ hypochondrijs, & lumbis applicitæ, ab eo dũ repellunt, extruduntq́; Priapus minor efficitur.

Priapismus.

36. ℭ In Satyriasmo, si post triduum à reuellentium vacuationum, & refrigerationũ topicorũ vsu, penis neq; detumescat, neq; minùs indolescat, & incalescat, tũ demũ affixis eidẽ cucurbitulis cũ scarificatione, aut sãguisugis, gãgręna pręcauẽda est, exonerata phlegmones iã cõceptę portione.

Phlegmone vesicæ, vteri, & scroti.

37. ℭ In phlegmone siue ceruicem vesicæ, siue partem aliquam vicinam, vt vterum intestinum, scrotum, inuadat, tàm primigeniâ, quàm symptomaticâ, cucurbitularum appositio, & in vtroq; hypochondrio, & in regione dorsi, & lumborum, prohibet fluxionem.

COROLLARIA quædam Astrologica.

QVæ hactenus libris duob9 à me dicta sunt, ad ritè celebrandam phlebotomiam sufficere arbitror. Vbi quoq; Astrologica breuiter (ne ibi in his

in his methodi legem violarem) attigi. Verùm tamen hæc quæ sequuntur, ad finem lucubrationum mearum apponere visum est: vt & curiositati quorundam, quibus nonnisi à cælo consilio petito morbis obuiam ire licet, morem gererem; & ne vtilem scientiam contemnere viderer; cùm præsertim sim alumnus, & filius eius Academiæ, in qua hæc studia, maxima cũ laude sua, suorumq; Professorum, olim adeò floruisse, ac viguisse sit notum, vt si non anteire, profectò cum plurimis, iisq; celeberrimis Academijs certare potuisset. Si huius loci esset, aut mei propositi, possem recensere viros, clarissimos, qui & profiteri publicè nobilissimam scientiam, & ex ea quædam domi forisq; circumspicienda, ad sacra & profana necessaria, Concivibus suis annuatim, non sinè summa laude sua, communicabant; & adhuc hodie communicant. Non intelligo autem hîc quosdam tonsores, & alios (quos Academia neq; agnoscit, neq; instituit) Corydones, qui ex se, vsuq; suo commendabilem scientiam, ignorantiâ suâ, mittentes falcem in alienam messem, conspurcârunt, ac inde malè audire fecerunt; Prognosticaq; vocare, non iam, vt olim, Iudicia, sed Mendacia; in quos nunc demum illud quadrat:

Ne sutor vltra crepidam.

Sed cum Astrologis mihi res. Quare hæc, in quibus exquisita, & recta obseruatio Astrologica tam

lib.1.c.11.

rá in vtraq; phlebotomiam tenenda, consistere ab illis euidenter demonstratur, eo ordine donabimus, vt primò Cursum Lunæ, deinde Signa Zodiaci, hinc cæteras Constellationes, ac demum dies quosdam singulorum Mensium, percurramus.

Cursus Lunæ.

POst nouilunium, vsq; ad primum crescens, adolescentię (quæ in annum ferè 25. producitur) phlebotomia seruit: hac enim prima ætate per vasa sparsus humor, purioris sanguinis speciem ostendit.

A primo crescente vsq; ad plenilunium, iuuentuti (quæ ad 35. aut 40. annum excurrit) venæ sectio conuenit, quòd in hac ætate secunda humor, corporis ardore, siccitateq;, ad flauæ bilis naturam trahatur.

Post plenilunium vsq; ad vltimum crescens, constanti, & maturæ ætati, (quæ vix attingit annum 50.) incisio venæ seruit; vel ante. Post plenilunium, ingrauescenti ætati, & præcipitatæ primæ illi senectuti (quæ ad 65. extenditur annum) phlebotomia accommodata est: in illa enim tertia ætate humorum fit quædam commoderatio, & temperies: in hac verò quarta melancholicus humor redundat, qui siccum,

frigi-

frigidūq; corp9 efficit; frigidū tamen min9.

Post vltimum crescens ad decursum vsq; Lunę, senio vltimo, seu vltimæ ætati (quę ab anno 65. extenditur vsq; ad nouissimum annum vitæ) si necessitas vrget, vires ferunt, cæteraq; conspirant, sanguis extrahetur: hæc enim ætas vltima pituitoso humore scatet, ob caloris, coctionisq; infirmitatē.

Dixi, *maturæ ætati à primo crescente ad pleni-lunium, vel ab hoc ad vltimum vsq; crescens debe-ri phlebotomiam, quia, cum inter iuuentutem, & primam senectutem media sit, ab vtraq; non multum distat.* Nota.

Zodiaci Signa XII.



Ignea, id est calida & sicca:		Dominatur	Capiti hominis. Stomacho. Coxis.
Aerea, i. Calida, & humida:		Dominatur	Spatulis, & manibus. Renibus, & vesicæ. Tibijs.
Terrea, i. Frigida, & sicca:		Dominatur	Collo, & gutturi. Hepati, & intestinis. Genibus.
Aquea, i. Frigida, & humida:		Dominatur	Pectori, & pulmoni. Secretis naturæ. Pedibus.

Quæ

Quæ omnia commonſtrat figura ſubiecta.



Vſus.

SAnguinem alicui detracturus, primò omnium animaduerte temperamentum ægri; deinde in quo ſigno Luna exiſtat; tandem cui membro illud ſignum dominetur, ſeu reſpiciat. Nam ſi

phle-

phlegmaticus eſt, in igneis; ſi cholericus, in aqueis; ſi melancholicus, in aereis ſignis phlebotomiam quamcunq; omnium partium, ſeu membrorum, celebrare licebit, exceptis tamen illis locis, quibus ſignum illud dominatur V. G. phlegmatico ſanguinem detrahes in Ariete Signo igneo (quia hoc flauam bilem generat, melancholiam verò excludit) ex omnibus membris, ſeu locis, prætcrquàm capitis; quia Aries fingitur caput hominis habere, illiq; dominari: Et ſic de alijs. In Signis terreis, id eſt, frigidis, & ſiccis, ſanguinem minuere, niſi neceſsitas vrgeat, minimè probatur, vtpote quæ naturâ ſua frigidâ humores incraſsent, & quaſi congelare faciant.

Conſtellationes, ſeu aſpectus Planetarum, ſub quibus Phlebotomia celebranda eſt.

☌	☽	♃	□	☽	♀
☌	☽	♀	△	☽	♃
✶	☽	♃	△	☽	♀
✶	☽	♀	△	☽	☉
✶	☽	☉	△	☽	♄
✶	☽	♄	△	☽	♂
✶	☽	♂	☍	☽	♃
□	☽	♃	☍	☽	♀

Aſpectus Planetarum, ſub quibus venam ſecare non licet.

☌ ☽ ☉ 2 diebus antè & pòſt.
△ ☽ ♄ 1. die antè & pòſt.
☌ ☽ ♂ 1. die antè & pòſt.
☌ ☽ ☊ hoc die ſolo.
☌ ☽ ☋ 1. die antè & pòſt.
□ ☽ ☉ 12. horis antè & pòſt.
□ ☽ ♄ 12. horas antè & pòſt.
□ ☽ ♂ 12 horas antè & pòſt.
☍ ☽ ☉ 1. die antè & pòſt.
☍ ☽ ♂ 1. die antè & pòſt.
☌ □ ☍ ☽ 1. die antè & pòſt.

Menſium ſingulorum dies quibus ſanguinem detrahere funeſtum.

IAnuarij 1. 2. 5. 7. 8. 15. diebus, vena aperta mortem eodem anno pollicetur.

Februarij 6. 7. in Charontis cymbam eodem anno præcipitat. 28.

Martij 16. 17. 18. inciſa vena, mortem eodem anno promittit. Cæſa verò 7. die, cæcitatem præſagit.

Aprilis

Aprilis 6. 7 mortem eodem anno innuit.

Die autem 8. vulnerata, infra decursum dierum 40. mortem accersit. Cæsa 1. die, aut vulnus, aut venenum, aut mortem non tardantem expectare iubet

Maij 7. 17. 15. reserata, mortem eodem an- inducit.

Iunij 6. vena aperta, anno eodem mortem minatur.

Iulij 15. 17. secta, eodem anno mortem effugere non sinit.

Augusti 19 20. mortem eodem anno infert. Sed 1 die incisa, vulnus, venenum, aut mortem postridie affert.

Septembris 16 18 incisa, mortem eodem anno ingruere facit.

Octobris 6. vena aperta, eodem anno mortem portendit.

Nouembris 16 17. vena aperta, eodem anno mortem affert.

Decembris 6 7 11. incisa, eodem anno vitam adimit. Vltima verò die secta, aut venenum, aut vulnus, aut mortem subitaneam allatura est. Si non credis, experire gratis. *Cætera si quæ obseruationum Astrologicarum desiderantur, vide lib: 1. c. 51. & iam nihil omnino tibi deerit ad venam rectè secundum Astrologos aperiendam. An autem hæc sim-*

pliciter sint necessariæ in Phlebotomia, & perpetuò obseruanda, vide ibidem sub capite eodem, nimirum fol: 74 Atq; hîc de curatione morborum à sanguine ortus sui primordia habentium per Phlebotomiam tum vniuersalem, tum particularem, finis esto; ad quem Dei benedicti, Archiatri nostri Æterni, auxilio adiutus perueni: cui laus, honor, & gloria in omnem æternitatem.

IN.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Quæ in his II. libris Praxis Phlebotomiæ continentur.

F folium notat, c caput, n numerum.

A.

Anstri.

D.

E.

E.

F.

L.

M.

N.

O.

Obstru-

Q.

R.

S.

V.

Venus

 Viri-

Afolio 1. vsq; ad fol. 91 exclusiuè intellige semper capita primi libri.; à folio verò 92. vsq; ad finem, intellige capita libri secundi.

Finis Indicis.

Antequã legas errata corrige,

LIBRI I

Fol. 10. *sub capite* 8. *numero* 2. ictu *lege*. ictu.
Fol 11. *c*. 9. *n*. 1. euchymõa *lege* ecchymoma.
F. 14. *cap* 10. *n* 4 euchymõa, *lege*, ecchymoa,
Fol. 34 *c*. 30 *n* 12 Odemate, *lege*, Oedemate.
Fol. 47. *c*. 35 *n*. 5 quantitate, *lege*, qualitate.
Fol 55. *sub c*. 37 prisquàm, *lege*, priusquàm.
Fol 58. *c*. 31 *n*. 2. inferiùs, *lege* superiùs.
Fol 59. *sub c*. 40 lectentibus, *lege*, lactentibus.
Fol. 70. *sub c*. 49. rerò, *lege*, verò.
Fol 81. *c*. 54 *n* 1 illo remedij genere, *lege*, vllo *remedij genere*.

LIBRI II

Fol. 93 *c*. 2. *n*. 7. qui in summa sunt cute, *lege*, quæ in summa sunt cute.
Fol 94. *c*. 5. *n*. 1. couenit, *lege*, conuenit.
Fol. 111. in vtraq; phlebotomiam, *lege*, in vtraq; phlebotomia.
Fol *eodem* ingreuescenti, *lege*, ingrauescenti.
Fol 111. prognosticaq; vocare, *lege*, prognosticaq; vocari.
Fol. 112 inuentutem, *lege*, iuuentutem:
Reliqui errores pauci admodum, ijq; leues; quos proinde lectio ipsa facilè emendabit.

FINIS.

DE FEBRIBVS LIBER.

In quo earum causæ, signa, prognoses, curatio, iuxta doctrinam Hippocratis & Galeni principum, aliorumq; posterioris ætatis celebriorum, ac etiam praxim selectam, atq; singularem, quorundam huius æui expertissimorũ, Medicorum, cùm breuiter, tum sufficienter traduntur.

Non solùm Medicis ad curandum; verùm etiam reliquo omni hominum generi ad præcauendum, apprimè vtilis, ac necessarius.

AVCTOR

LECTORI

S.

ALterum ingenij mei, benigne lector, fœtum de Febribus, morborũ omnium morbo principe, & comite, Deo auspice, cui omnia debeo, in lucem emitto. Et quidem huc me non ambitio, aut ventus nouitatis, pellexit; sed eæ, quas habet Galenus 7. Meth meden. ad Eugenium, causæ. Scilicet hac in re & vrgentibus amicis gratificor, & meipsum ad rem propositam, ratione vtilissima, excito, & ad obliuionem (ex mente Platonis) commentarios mihi repono; verùm etiam (vt quartum addam) vsui, & publicæ omnium vtilitati, consulo. Omnis morbus malus: Febris pessimus, quia omnium frequentissimus, acutissimus, &, quod maius, acutis prope omnibus adnexus, plurimos

mortis limen adire coëgit.

Namq; cæteri ferè omnes vnam duntaxat partem, nimirum animalem, aut vitalem, aut naturalem, operationem impediunt, vel lædunt: febris omnes, non sua tantùm violentia, ferocitate, malignitate, sed & suorum symptomatum multitudine, atq; magnitudine. Vide hîc magnum, atq; vtile esse, hunc morbum nosse, atq; curare: & in hoc OPERE habes, quia de Febribus illud inscribo: id est,

diuersas Febrium naturas, ipsarumq; causas, signa, prognoses, & nedum curandi, scribo, explicando partem affectam, & affectum ipsum, ita vt nihil in hac materia deesse videatur: quod quidem nullum ante me ita fecisse constat. Sanè enim omnia hæc magna cum diligentia facio, quia quæ in hoc genere morbi à probatißimis auctoribus excerpsi: à præceptoribus hausi: longo rerum vsu, ac experientia, probata accepi: quæq; maximè sub hac cæli constitutione hominum degentium naturis, æuo, consuetudini, seruire obseruaui, candidè absq; omni fuco, omni posteritati in hoc OPVS *redigo: nihil veritus Momum, aut calumniantem, quia talibus insitum alijs clanculum obmordere, cùm ipsi nihil producant in publicum vsum. Non verò hîc expectabis disputationes accuratas, aut exquisitam stili elegantiam, quia non inanibus verbis; vsui, prouidi, & Medica*

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Quare, benigne lector, laborem nostrum, & quicquid est ab ipso, candide accipe, contraq; susurros defende; sed etiam me cum hac, quæ est ab ingenio meo, prole, ama, & feliciter vale.

DE FEBRIBVS LIBER.

In quo earum causæ, signa, prognoses, curatio, iuxta doctrinam Hippocratis & Galeni principum, aliorumq; posterioris ætatis celebriorum, ac etiam praxim selectam, atq; singularem, quorundam huius æui expertissimorum, Medicorum, cùm breuiter, tum sufficienter traduntur.

☾✱☽

Non solùm Medicis ad curandum; verùm etiam reliquo omni hominũ generi ad præseruandum, apprimè vtilis, ac necessarius.

✱ ✺ ✱

Præfatio.

Febres quales morbi.

FEbres iure merito primum sibi locũ inter reliquos omnes corporis affectꝰ vendicant. Sunt enim febres morbi tum vniuersales, tum frequentissimi, tum diligenter Medico considerandi.

Vniuersales quidem, quoniam non vnam alia

quam partem duntaxat, quemadmodum pleræq; ægritudines cæteræ, affligunt, sed vniuerso corpori exhibent negotium : ideò, quia actiones omnes vitales, animales, naturales, lædere consueuerunt. Et tandem etiam, quia natura illarum vbiq; ferè in corpore tàm intra, quàm extra venas coaceruari potest.

Febres præterea sunt aliorum morborum frequentissimi, tum quia vel solæ per se inuadunt, vel alijs grauissimis ægritudinibus, perpaucis omnino exceptis, ceu comes indiuiduus, iunguntur. Quod non ignorans D. Hippocrates ait, vbi nulla sit aeris constitutio pestilens, qui pereunt, ferè ab acutis febribus perire. Postremò magnam considerationem, & , præ alijs, Medici requirunt industriam, maximiq; momenti meritò censentur ob affectæ partis præstantiam, quæ (vt inferiùs dicetur) est ipsum cor, arx vitæ; cuius pathemata periculo vacare haud queunt.

1. de rat. vict. acut t. 8 & 9.

Romani Febribus sacra fecerunt.

Legimus sanè Romanos olim Febri, tanquàm morborum formidabilissimo, sacra fecisse, ne ipsis noceret.

Qui scit tractare febres magnam partem Medicinæ scit,

Quicunq; igitur in hac tractatione febrium diligenter, accuratèq;, versatus fuerit, is bonam partem artis non abs re absoluisse existimabitur.

CAPVT I.
Quid sit febris.

Febris

FEbris vox à feruore profecta est (Græcis πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρὸς) quòd ex ea corpus æstuare, ac prope ignescere, soleat. Hipp non solùm vehementissimam, sed etiam mitiorem, πῦρ nominauit.

In Epid.

Definitur à Galeno varijs in locis variè. In lib 1 Aph. c 16 *Febris, inquit, est calor natiuus conuersus in igneum, seu, conuersio natiuæ caliditatis in igneam* 8 Meth. c. 1. *Febris est, cùm adeò immodicè auctus est calor, vt hominem offendat, & actiones lædat.*

Nos more Auicennæ, prima quarti, tract 1 c 1. pleniùs hac ratione febrem describere volumus: *Febris est calor immodicus, in corde accensus, indeq; per venas, & arterias, in vniuersum corpus diffusus, actiones primò lædens.*

Febris quid.

Cum dicimus *febrem esse calorem, qui actionibus primò, ac per se, sine alterius interuentu officit,* ostendimus febrem esse morbum in intemperie, non in compositione, aut soluta vnitate *Cum calorẽ immodicũ* dicimus, respicimus ad calorẽ natiuũ. Duplex enim reperitur in corporibus nostris calor, natiuus alter, seu naturalis, alter præter naturã. Illũ innatum, & secundùm naturam, & proprium, & primigenium, vocitant: quòd à primordijs nostræ generationis nobis insit, naturæ vernaculus, ac perquàm familiaris. Idem quoq; est bene temperatus, seu

Calor in corpore duplex.

à contrario refractus, & ad mediocritatem quandam, & moderationem redactus, actu humidus: quoniam fundatur in subiecto, quod plurimum aereæ & aqueæ substantiæ continet; semine nimirum, & sanguine.

Calor innatus duplex.

Innatus. Calor,

Calor hic innatus (de quo hactenus) vnus singulis nostri corporis partibus ab origine insertus, eo gradu, qui naturæ cuiusq; particulæ expediat; quem idcirco propriè innatum, implantatum, seu emphyton, & cum Auicenna, fixũ dicere possumus. Estq; tepidus quidam calor, veriùs potentiâ talis, quâm actu: eum proinde Gal. aeri in cubiculo aliquo clauso, vel qualis æstatis tempore in domibus sentitur, comparat.

Influens calor.

Alter qui ex corde, vegetior, multoq; feruentior, cum sanguine, & spiritu, per arteriarũ ductus, influit, priorem illũ in partibus veluti sopitum, ac delitescentem, in actum deducit, fouet, confirmat. Quamobrem igni accenso domum calefacienti ab eodem Gal. meritò assimilatur; cuius etiam subiectum, ac focus, ab Aristotele 3. de part. anim. cap. 7. cor ipsum statuitur.

Influens hic calor ad omnes quidem operationes pernecessarius est; non tamen ab ipso proficiscitur actio, sed oportet hunc cum insito in vnum conuenire, vt ex ambo-

bus

b9 coniunctis tertius quidam integretur, ac resultet (Scholæ calorem hunc actuatum vocant) quo forma corporis, seu, anima rationalis, tanquàm idoneo vitæ ad functiones instrumento, vtatur; in quem omnia illa caloris natiui epitheta, atq; attributa, quæ passim apud Medicos obuia sunt, aptissimè dicuntur. Vt quòd Gal & Hippo. passim calorem innatum, generationis nostræ, omniumq; naturalium operum, auctorem, eundemq; subinde naturam, facultatem corpus nostrum gubernantem, animã, vel saltem animæ pręcipuum instrumentũ, indigitant, de hoc calore pronuntiatum fuisse debet existimari. Fernelius maiora, quàm par est, de dicto calore sibi persuadens, eum, veluti diuinum, cælestem, atq; altioris, quàm hæc inferiora, originis, admiratur, neq; eiusdem generis esse cum calore ignis arbitratur. Verùm hæc subabsurda, viri docti aliàs, confutârunt. Hæc de calore natiuo.

Actuat9 calor ex insito & influente resultat.

Fernelii error cõfutatus.

Alter huic oppositus calor, præter naturam, externus, vel extraneus, & immodic9, appellatur. Hic talis euadit, quando calor natiuus, limites suos prætergressus, ad eum vsq; gradũ exardescit; sub quo anima, tanquàm instrumento, suas operationes nequit

Calor præter naturam.

Color præter naturam eiusdem est speciei cum natiuo.

inposterum edere. Hinc constat, illũ non alterius esse speciei (veluti quibusdam visum fuit) sed sola gradus intensione, acrimonia, vel (vt loquuntur) secundùm maius & minus, à naturali differre: siquidem illud bene à Galenò fuit proditum, *febrem esse conuersionem natiuæ caliditatis in igneam.* Nam vbi natiuus calor eousq; progressus est, adurit, colliquat, dissipat humores, & substantiam corporis. Neq; tamen hac discessione ad naturam igneam calor naturalis ita desinit esse, quin aliqua ex parte saltem, licèt imperfectiùs, vitæ, & naturæ, munia obeat.

Calor non naturalis.

Nulli autem dubium, inter hunc ardentem, seu igneum, penitusq; præternaturalem, & blandum illum, mitissimũ, atq; naturæ muneribus præstandis accommodatissimum, alium adhuc quendam medium interuenire, qui naturali quidem maior, atq; intensior, præternaturali autem remissior, existat; quem propterea, in confinio vtriusq; positum, *non naturalem* dicimus. Ita Gal. ad scititium, & acrem, mordacem, & non naturalem calorem nominat, qui mutatione, seu decursu ætatis, in corpus inducitur. Cùm enim siccitas sit lima caloris, erit vt i[illegible] dolescentia statim vsq; ad

Siccitas

vigo-

vigoris tempus, ſemper magis ac magis intendatur, itaq; plus terrei, & ignei elementi repræſentet, ſecus ac ab initio natiuitatis, vbi aerea & aquea natura præualebat. Quomodocunq; tamen calor increſcat, ſubiectum certè illius radicale humidum, ex noſtræ generationis primordiis ſemine ac ſāguine mēſtruo, in ſolidis partibꝰ derelictū, eò magis perpetim imminuitur, ad cuiꝰ decrementū, ſecundùm proportionem, natiuus calor etiam decreſcit, quò longiùs ætate procedit: haud paulò aliter atq; elychnium, quamuis aſsiduo fruatur pabulo, in cineres tandem vi flammæ redigitur. Vnde Hippocrates non immeritò dixit, *hominem qua die naſcitur calidiſsimum humidiſsimum, quā moritur, frigidiſsimum, ſicciſsimumq; eſſe.*

[Margin: lima caloris.]

[Margin: Caloris ſubiectū radicale humidū.]

Calorem hunc alterum, *immodicum* ſcilicet, *ac præternaturalem*, genus in definitione febris conſtituimus: quoniam (vt iam diximus) febris eſt intemperies calida, quæ nihil aliud dici poteſt, quàm intenſio, ſeu acuties caloris, ſupra modum naturæ expedientem, cui rei fidem facit ipſa ſanatio. Nam Gal. 8. Meth. c. 1. aliiſq; in locis, ait: *Sanatio febris, eſt refrigeratio;* & febris omnis, qua febris eſt, refrigerari poſtulat, tametſi ob cauſam illius, vel adiunctum alium affe-

ctum, interdum calorifica adhibeantur. Necesse est igitur, vt febris sit excessus quidam caloris.

Huius deinde in calore excessus, seu febris, focum, primumq; suscitabulum, in corde constituimus. Quoniam ratio persuadet in illa primum parte febrilem ardorem, qui corp9 vniuersum accendit, exæstuare, atq; ebullire, quæ alijs omnibus per naturam etiam calidior, feruentiorq; est, adeòq; calorem vberem, tanquàm fons quidam perennis, in cætera membra diffundit. Adiecim9 *calorẽ hunc à corde per venas, & arterias, in vniuersum corpus emanare.* Tametsi enim à corde, supra mediocritatẽ naturæ vtilem, incalescente, per contactum quoq; partes, initio quidem proximæ, inde autem aliæ atq; aliæ successione quadam, in calescere queant, tàm subita tamen caloris diffusio per totum corpus, quàm subita in febribus apparet, non potest aliò, quàm in venas, & arterias, referri, tunc temporis feruidiori materiâ imbutas, eumq; calorem quaquauersum importantes, nisi quid impediat, vt frig9 aeris ambientis, aut summus feruor visceris alicuius, sanguinem, & spiritus, cucurbitulæ ritu, ad se trahentis. Cùm enim acciderit, quod Hipp. 4. Aph. 48 prædixit,

sit, vt interiores partes vrantur, externæ frigeant, cum præsentissimo vitæ periculo id erit; & Gal. 1. Pror. tex Com. 7 febrilem ait non solùm eum, qui in superficie corporis igneam habet caliditatem, sed & illum, idq; multò magis, qui eam in corde, corporis penetralibus, ac visceribus, retinet Per accidens igitur est febrili calori non expandi per totum corpus.

Cùm partes interiores vruntur, externæ frigent, lethale.

Adhæc, verba in definitione posita, non tam actum, quàm aptitudinem denotant.

Tandem etiam postremâ definitionis particulâ, febrilem æstum ab alijs magnis ardoribus hic verbis discriminauimus, quòd hic debeat *primò actiones lædere*; alioquin enim non omnis febris esset morbus, & multi calores, vt ij, qui ab exercitatione, meri potatione, balneo, cursu, lucta, &c contrahuntur, ad hanc febrium classem perducerentur: quod tamen haudquaquam pertinent, nisi iam eousq; increuerint, vt actionibus primò, ac per se, incommodent.

Calor febrilis ab aliis discrepat.

CAPVT II.

De febrium diuisione.

Differentiæ febrium.

HIppocrates 6. Epid. sect. 1. tex. 19. & Galenus 1. de diff febr. c. 1 complures febriū diuisiones assignāt, quarū eas, quæ minùs euidētes sunt, atq; exercitatū Medici actū exigunt, in præsentia prætermittemus.

Omnium communissima, vsu receptissima, & (veluti Galeno quoq; visum est) proprijssima, à subiecto, seu materia, desumitur, in qua primùm febrilis calor conflagrat. Cùm autem ex definitione febris clarum sit, primam illius seu sedem, seu suscitabulum, esse cor ipsum, cor verò constet ex tribus hisce, solida substantia, humore, & spiritu, consequens est asserere, febrim necessariò suscitari in cordis vel spiritu, vel humore, vel solida substantia. Primam ephemeram, seu diariam, secundam vsitatò vocabulo humoralem, & tertiam hecticam dicunt. Necesse est autem tam in humorali, quàm hectica aliquod ex hisce tribus calefactum esse, reliqua duo solùm calefieri: vt in humorali primùm calefactos esse humores, incalescere spiritus, & solidam substantiam in hectica contrà solidam substantiam esse calefactam, incalescere spiritus, & humores. Plurimùm porrò inter se discrepant (Gal. teste) calefieri, & calefactum esse, quando nimirum illud schesim, id est,

Tria primarum simpliciū febrium genera.

dispo.

dispositionem, hoc verò hexim, id est, habitum, denotat. Ad cuius rei pleniorem intelligentiam plurimùm conducit similitudo lebetis 1. de diff. febr. c j. allata. Probatū igitur est ex iam dictis denominationem febris ab eo peti, ex quo calor præternaturalis inchoat. Facilis tamen est transitus ab vno genere febris in aliud. Ita ab ephemera, vbi humores ita calefecerit, vt iam putrescant, naturâ, & appellatione ephemeræ desinentibus, resultat humoralis. Pari ratione ex humorali, & ephemera, si partibus solidis calorem altiùs impresserint, prouenit hectica. Constitutum igitur sit febres alias in spiritu, alias in humore, alias insuper in solidis partibus excitari.

Ephemeræ.

Ephemeræ, quæ in spiritu consistunt, nullas habent differentias; nisi ex varietate caussarum resultantes; de quibus in peculiari capite seorsim.

Humorales aliæ continuæ, aliæ intermittentes.

Humorales aliæ sunt continuæ, aliæ intermittentes. Continuarum quædam absq; putredine infestant, vt synochus altera, de qua Gal 9 Meth. c 2.; quædam cum putredine, humore intra maiora vasa putrescente; qui si est sanguis, fit synochus putrida, cuius meminit Gal eodem lib cap 3; si bilis, fit causos legitimus, seu tertiana; si pituita, cau-

sos spurius, seu quotidiana; si atrabilarius, quartana. Hæ putridæ sunt, quas Gal, febres primarias, seu febres morbos, indigitat, ad distinctionem febrium, quæ inflammatorios viscerum affectus, phrenitidem, anginam, pulmoniam, pleuritidem, &c. comitantur; quæq; proinde symptomaticæ audiunt, & ad morem aliorum symptomatum, sublato, vnde pendent, morbo, ipsæ quoq; tolluntur.

Febres Symptomaticæ quæ.

De peste, ac pestilente febre, quam putridis annumerare solent, seorsim agendum existimamus; præsertim cùm vulgata curandarum febriū methodo ipsius sanatio non comprehendatur.

Pestilens febris.

Intermittentium porrò, quæ fiunt ab humoribus, vel extra vasa, vel saltem extra maiora, putrescentibus, alia fit à bile, tertiana; alia à pituita, quotidiana; alia demum à succo fæculento, quartana. Quibus ex Hipp. I. Epid sect. 3. tex 2. rectè annumeraueris quintanas, sextanas, septimanas, aliasq; longioris periodi febres. Rursus humoralium harum febrium, aliquæ sunt exquisitæ, seu legitimæ, quædam contrà spuriæ. Exquisitæ appellantur, quæ ex humore illo, cui originem suam debent, solo, impermixtoq;, nascuntur: vt tertiana V. G. exqui-

Humores bifariam putrescunt.

Humoralium alia diuisio.

exquisita illa est, quam vera bilis peperit. Spuriæ, cùm plures vno humore sibi inuicem permiscentur: vt, si in tertiana, bili accedit pituita, vel melancholia. Id ipsum de alijs quoq; febribus sentire licet.

Hectica febris.

Hectica tandem, quæ in solida cordis substantia firmatur, nequaquã in alias species diducitur, sed tantùm certis quibusdam gradibus, vel morbi temporibus potiùs, distinguitur; cùm alia sit inchoata, alia increscens, alia deniq; confirmata.

Secunda febrium diuisio.

Postremò febres omnes sunt, vel simplices, suiq; generis: vt ephemera, sola putrida, hectica sola: & ex putridis, vel sola continua, vel sola intermittens, &c. Vel inter se confusæ, atq; compositæ cernuntur: vt, hectica cum putrida: inter putridas continua cum intermittente, quemadmodum in hemitritæo viuuenit: vel intermittentes sibi inuicem copulantur, partim eiusdem speciei, hinc tertiana duplex, quartana duplex, triplex, &c. partim diuersarum specierum, vnde tertiana cum quotidiana, aut hæc cũ quartana non rarò iungitur. Subinde afficitur aliquo: vt, inflammationi hepatis connectuntur, dicunturq; typhodes, aut cũ insigni, & ad se curam reuocante, symptomate, vt est febris syncopalis.

Alia febrium diuisio coincidit cum ea, qua reliquos etiam morbos, & res quascunque genitas, distribuimus penes tempora siue ætates suas, in principium, augmentum, statum, & (nisi lethalis fuerit febris) declinationem; quæ decessio nominatur à Cor. Celso. Hæc rursus tempora vel sunt vniuersalia, vel particularia. Vniuersalia dicuntur, quæ totius morbi ideam, & eam, quam Hipp. j Aph. 12. Gal. 1. de cris. c. 4. castatasin, id est, constitutionem nominat, complectuntur. Sub hac acceptione vniuersale principium durat (de humoralibus agendo) quamdiu signa concoctionis nondum apparent. Augmentum, cùm inualescente calore, concoctionis quædam vestigia conspiciuntur, si quidem morbus ad salutem tendat, & cùm symptomata inualescunt. Status quando materia maximè coquitur, febris cum suis accidentibus vehementissima est, quæ aliquandiu neque manifestè augeri, neque diminui, deprehenditur. Declinatio, cùm & febrilis ardor remittit, materia concocta est, symptomata mitescunt, & æger leuiùs habet. Hæc vel omnia, vel aliqua tempora, quædam febres celeriter, quædam tardiùs percurrunt, & absoluunt.

Vniuersale tempus quid.

Principiũ quid.

Augmentumquid.

Status quid.

Declinatio quid.

Parti-

Particularia solùm in ijs febribus locū habent, quæ per circuitus, seu, periodos, reuertuntur, quales sunt tam continuæ, quam intermittentes omnes, præter synochos

Tempus particulare inquis. locum habeat.

Periodum, seu circuitum, cum Galeno lib. de morb temp. c. 6 nominamus totum illud spatium, quod inter vnam morbi accessione, & alteram, intercedit, ac in quotidiana circumscribitur horis 24. in tertiana 48 in quartana 72

periodus quid.

Periodus diuiditur in paroxysmum, & remissionem Paroxysmus, (eodem auctore 1, Aph Com 12) est deterius totius periodi tempus, principium, augmentum, & vigorem, seu statum, complectens Remissio declinationem morbi continet, & in intermittentibus apyrexiam, infebricitatione, integritatem Celso, seu tempus, quod a febre immune inter duos paroxysmos mediū intercedit: alij interuallum, & quietem, dicere consueuerunt.

Diuiso circuitus Paroxysmus quid

Remissio quid

Continuis febribus quinq; assignantur tempora: Principium, inæqualitas, augmentum, statu, & declinatio. Intermittentibus hæc eadem, & præterea interuallum, seu infebricitatio

Tempora febriū continuarum, intermittentium.

Tempora particularia deprehenduntur ex

tur ex motu caloris, & progreſsione ſymptomatum. Principium igitur adeſse iudicamus, cùm calor ab extimis partibus retractus, ad thoracem conduit, atque ipſa febrifica materies, ritu viridium lignorum, quæ flammam nondum edunt, accenditur.

Principium quando adest

Inæqualitas, quum idem calor è materia, quâ penè obruebatur, emergere incipit, atque eluctari, nondum tamen neque intrò, neque foras manifeſtè inclinat.

Inæqualitas quando.

Augmentum quando iam manifeſtius calor ad extremitates reuertitur, ac morboſam ſaburram, quanta præſentem paroxyſmum concitauerat, ſuperat, ſymptomata etiam omnia inualeſcunt, & exaſperantur.

Augmentum quando.

Status, vigorque, cognoſcitur, quando ad ſummam ebullitionem materia accenſa peruenit, calor vniuerſum corpus ex æquo habet, omniaque accidentia ſunt vehementiſsima.

Status seu vigor.

Declinatio, cùm calor pedes occupauit, deſerto pectore, nocens materia diſſlatur, ac ventilatur; ſymptomata etiam mitigantur, ſeu decreſcunt. Hanc in intermittentibus quies, aut apyrexia, excipit.

Declinatio.

CAPVT III.

De cau-

De causis febrium in genere.

CVm febrem dixerimus esse calorem immodicum, quæcunq; eiusmodi calorem in nobis accendere, atq; excitare nata sunt, ea febrium causæ effectrices in vniuersum appellari merentur.

Horum quædam hic præstant cum motu, alia sinè motu. Si cum motu, is erit vel corporis, vel animi. Corporis, vt equitatio, lucta, multum etiam, ac validum quodcunq; tandem exercitium, lassitudo corporis, &c. Animi, cùm spiritus, & sanguis à perturbationibus varijs variè agitantur, potissimùm ira, timore, tristitia, &c.

Calor febrilis accenditur cum aut sinè motu.

Sinè motu calefaciunt quædam per se, quędam ex accidenti tantùm.

Sinè motu per se, & per accidens.

Eorum quæ per se illud efficiunt, alia actu, potestate alia calorem pariunt.

Per se actu & potentia.

Actu rursus nonnulla intrinsecus, non nulla extrinsecus, inflammant. Intrinsecus, vbi V. G. putrilago aliqua latet in corpore, humoris, vermium, puris, ex abscessu, aut membri cuiuspiam sphacelo correpti. Inde enim putrescens vapor cordi adspiratur, & pro varietate materiæ, fociq; putredinis, hæ

Actu extrinsecus & intrinsecus.

febres exſurgunt Extrinſecus, ſol, ignis, calidius balneum, medicamenta, cæteraq; foris incidentia, quæ impenſiùs calefacere queunt.

Poteſtate quæ calefaciunt.

Poteſtate calefaciunt, quæ, vt effectum hunc edant, indigent calore noſtro, quo manum porrigente agere queant. Huius ordinis ſunt medicamenta, & alimenta ſalſa, acria, amara, &c.

Per accidens calefacientia.

Ex accidenti calefacere creduntur, quæ per antiperiſtaſim calorem colligunt, & ad interiora compellunt. Adhæc, quæ prohibent tranſpirationem, eundem conduplicant, atq; accendunt, qualia ſunt refrigeratio, cutis cõſtipatio, partim à frigore, partim alijs rebus adſtringentibus, vt balneo aquæ aluminoſæ. Item leuior obſtructio porrorum cutis. Nam his de cauſis natiui caloris ventilatio præpeditur, idemq; à fumoſis exhalationibus in corpore coërcitis, & intermiſsis, ſupramodum excreſcit, haud aliter ac hypocauſta, quæ nullos concepti caloris habent exitus, magis ac magis æſtuare ſolent.

Ad febres excitandas requiſita.

Et quamuis hęc ita habeant, tamen, vt ex hiſce cauſis febris accendatur, neceſſe inſuper eſt eas, & eſſe vehementes, & aliquandiu agere, corpuſq; contingere; atq;

hoc ipsum velut subiectũ calori eiuscemodi suscipiendo apparatum esse.

Sed neq; hęc ipsa sola febrem accendere queunt, nisi accedat motus validus, & vnio caloris natiui in corde, & foco febris, ab impetu quodam naturæ proficiscens, quæ seipsa nullo magistro docta, magnis corporis incommodis siue per concoctionem, siue per expulsionem, non rarò subuenit, quemadmodum luculenter doctissimus Thomas à Vega lib. de diff. febr. magnis argumentorum momentis euincit.

Alia requisita.

CAPVT IV.

De signis febrium communibus.

GAl. libello de marcore cap 5. rectè docet, calorem immodicum, seu febrilem, ex tribus, tactu nempe, respiratione, ac pulsu, certissimò cognosci.

Communia febris signa.

1. Tactus certè si non in vniuerso corporis ambitu, in thorace tamen, & hypochondrijs æstuantem illam caliditatem manifestè prodit.

2. Sic respiratio quoq; maior erit, frequẽtior, & velocior, quàm secundùm naturã

esse deberet; nisi fortè affectus aliquis alius febri coniunctus, istud impediat, vt pleuritis V. G. phlegmone diaphragmatis.

3. Adhæc, spiriritus ab ore efflatus feruentior multò percipietur.

4. Pulsus respirationi, quoad magnitudinem, celeritatem, frequentiam, proportione quadam respondebit. Et licèt hæc ita sint constituta; non tamen in quauis febre ista conuenire est necessarium. Satis enim est in quauis febre vel vnum, vel duo, vel omnia caloris exuperantiam detegere.

Febribus qui magis obnoxii.

Inter corpora in febres quaslibet sunt procliuiora calida, quàm frigida Gal. asserente 7. Meth. cap. 8. In putridas verò, quæ omnium sunt frequentissimæ, faciliùs incidunt ij, quibus cor, aut hepar, iusto calidius, & humidius est, quemadmodũ constat ex cap. 38 & 47 artis medicæ.

Prognostes febriũ

Ad anni tempora quod attinet, Ver & Aestas febrium sunt feracissima; De sexu mares fœminis; Ex ætatibus adolescentes, & iuuenes, frequentiùs febricitant.

Febres quãdoq; salutares.

De prognosticis febrium, vt sint futuræ breues, an longæ, salutares, an exitiosæ, Hipp. in 4. præsagiorum libello de crisib. 4. Aph. multa. Nos singillatim in tractatione singularum specierum suo loco adnotabimus.

Istud

Istud animaduersione perquàm dignum est, febres quandoque adeò non obesse, vt morbis quibusdam percurandis egregiam præstent operam, velut apoplexiæ, 6. Aph. 5. paralysi, stupori, conuulsioni, 5. Aph 70. catarrho; nã febre succedente cõcoquitur, dolori hepatis, & colico ex flatu 6. Aph. 40. & 44. Alijsq; huius generis à frigida vel intemperie, vel materia, vel vtroq; pendentibus.

De perditæ ob scapulam loquelæ. 5. Aph: 5.

CAPVT V.

De curatione febrium in genere.

GAl. lib 10. Meth cap 9. febrium omnium, qua febres sunt, propriũ, vnicumq; remedium statuit refrigerationem, siue per se, siue per accidens, actu, vel potestate, agat, Hippocrates 1. Aph. 16. humectationem in febribus necessariam statuit.

Febris curatio est refrigeratio humectatio.

Nos vtrumq; præsidiorum genus huc facere arbitramur. Cùm enim febris omnis in caloris quadam efferuescentia, seu intensione, consistat, calor autem is naturam minùs recipiat, adeòq; corpora siccet, nemo sanè dubitabit, vtriq; excessui, caloris nempe, ac siccitatis, contrarium frigidum humidũ

midum opponendum esse auxilium.

Quousq; refrigerandum & humectandum.

Quousq; verò refrigerando, humectando, liceat progredi, ex magnitudine febris discere oportebit, quam rursus è naturali temperie, suis notis designatâ, metiemur. Tanta enim est febris, quanta corporis ægrotantis de pristina temperatura ad intemperiem hanc morbosam, siue febrilem, facta discessio est. Tamdiu itaq; in vsurpatione prædictorum præsidiorum persistendum erit, donec corpus pristinæ naturæ, seu temperamento suo, fuerit restitutum.

Aër sequendus in curandis febribus.

Cùm igitur aër ambiens de eorum sit numero, quæ minimè declinari, aut deuitari, queunt, vbi is debito feruentior erit, quia tum subit rationem causæ febrim fouentis, refrigerandum est impensiùs: contrà vbi frigidior est, quoniam remedij vices explet, de refrigerantium more, atq; efficacia, demendum significat. Quòd autem reliquus victus humidus febricitantibus omnibus conferat, ex citato, 16. sect. 1. Aph. iam liquet.

Quando cibandi febricitantes.

Sed & illud ex j Aph. 11. notum est de tempore cibandi, in accessionibus febrium, quæ per circuitus reuertuntur, nihil cibi, potuué, permittendum ante perfectam paroxysmi declinationem; nisi fortè æger of-

ventu-

ventriculi bile suffusum habeat, quem picrocholon nominant, tum enim opportunè: vel in ipso paroxysmi vigore (Gal. affirmante 10 Meth. cap. 4. reficitur.

Antiquitus aquæ dulcis balneo in omni febris genere vtebantur, præterquam in putridis, in quibus nonnisi concocta materia peccante id adhibebant. Verùm in nostra regione; propter mutatam fortè viuēdi rationem, & corporum plenitudinem, aquæ balneum, etiam in declinatione harum febrium, periculo recidiuę non omnino carere experientia sæpenumerò demonstrauit.

Balneum quale, & an adhibendum.

Postremo loco inter externa præsidia etiam *periapta* quædam, & *amuleta* febrifuga, a veteribus celebrantur: vt, *succinum* collo alligatum, ex Plinio; *Saphyrus*, & *Chrysolitus* in manibus gestatus; & si quæ sunt huius farinæ alia, quorum fidem penes auctores suos relinquendam censemus. Hactenus de febribus in genere, seu communi, egimus.

Externa præsidia febris.

De febribus in specie.

CAPVT VI.

De febre ephemera.

FEbris ephemera, siue diaria, (sic dicta, quòd diei spatium non excedat, 4 Aph. Com. 55. apud Gal.) est calor immodicus in spiritibus accensus.

Eadem tamen febris tametsi in plures quandoq; dies producatur, vel propter errorem in curatione commissum, vel densitatem, & occlusionem meatuum cutis, vaporosum istum calorem arctiùs, atq; diutiùs, cohibentem, siue aliàs ob causæ efficientis stabilitatem, nomen diariæ non amittit.

Causa.

A quibus causis proueniat ephemera.

PRouenit autem ephemera omnis ferè a causis procatarcticis, seu manifestis, dempta illa, quam inflammatio adenum, seu bubo, excitauit, quæq; ex obstructione porrorũ cutis, aut vehementi aliquo conatu, & vnione spirituum, atq; caloris, ad expulsionem nocentis alicuius materiæ, vt in diarrhœa, & similibus excretionibus, insurgentis dependet.

Causæ

Causæ externæ potissimæ sunt: insolatio,

latio, perfrigeratio, defatigatio, cutis densatio, magnus dolor, animi pathemata, ira, tristitia, curæ, timor, &c. peruigilium, inedia, diuturnior sitis tolerantia, ebrietas frequentior, &c.

externæ ephemeræ.

Signa.

Has causas distinguere, & à se inuicem, tacente etiam ægro, discriminare, pluribus docet Galenus 8. Meth. c. vlt. de rat. cur. ad Glauc. c. 2. 2. etiam de cris. cap. vlt. In vniuersum loquendo, faciliùs curatur hæc febris, quàm cognoscitur. Nihilominus tamen eiusmodi ferè notis deprehendi potest. Aliqua commemoratarum causarum febrim præcessit; vrina statim primo die apparet naturalis simillima, & concocta; Galenus tamen ait 2. de cris. c. vlt. omnibus communiter esse rufiores.

Signa diariæ.

Pulsus est celer, & frequēs, nōnūquam magnus; exquisitè autē seruat naturalem æqualitatem, mollitiē, & ordinem 2. de cris. citato.

Pulsus.

Calor occurrit tactui minimè mordax, sed qualis ab exercitio, aut vini meracioris potatione, comparatur, isq; æqualiter in totum corpus, febre increscēte, expansus.

Calor.

Non adsunt grauia illa, & molesta aliarum febrium symptomata, ingens cephalalgia,

Symptomata ad-

iuncta. lalgia, inexpleta sitis; inquietudo &c. nisi febris ob dolorem sit genita.

Desinit cum sudore, madore, vel halituoso quodam transpiratu, vnáq; accidentia, quæ priùs aderant, vt leuis dolor capitis &c. tolluntur.

A iuuantibus, & lædentibus petitum ephemeræ signum proponit, si æger, balneum ingressus, non inhorrescat. Nam vbi secus accidit, putridam subesse significatur.

PROGNOSIS.

QVod spectat ad prognosticum, hæc febris ex se omni vacat periculo, facilè tamen in alia febrium genera permutatur; quam permutationem minatur dolor capitis vltra 16. vel 20. horas protractus, præsertim vbi æstus febrilis post tertium diem constanter durat.

CVRATIO.

CVratio in eo consistit, vt causæ effectrices, etiamsi non adsint, in contrarium permutentur. Ita vt opponamus vigiliç *somnum*, lasitudini *quietem*, obstructioni *apertionem*, tristitiæ *lætitiã*, curis *animi relaxationem*.

Pòst opera dãda, vt *immodicus calor spirituum restinguatur*.

Quibus intentionibus omnibus ferè ephemeris communia sint hæc præsidia:

balneo

balneum, vnctio, frictio, cibus euchymus, & *facilis concoctu, minimèq; obstruens: vinum album, tenue, aquosum*; si tamē certo adhibito discrimine, vt dicemus, vsurpetur.

Ephemeræ igitur ex insolatione expedit *lauactum aquæ dulcis*, & *irrigatio, seu embrocha, syncipitis, ex calida, oleo rosaceo, omphacino salis experte, oleo violaceo, facta.*

Cura febris ortæ ex insolatione.

Si ex perfrigeratione oriatur, conuenit *laconicum*, seu *aër balnei*, & *balneum ipsum aliquantò calidius*: *embrocha item ex oleis temperatè calefacientibus*, vt est *chamomælinum irinum, liliaceum.* &c. Vbi autem huic febri catarrhus, aut grauedo iungitur, & ab irrigationibus, & à lauacro abstinendum erit, dum morbus declinabit.

Ex perfrigeratione.

Cui dēsitas cutis occasionē præbuit, ritè curabitur, si ęger diutiꝰ in *vaporario* maneat, inde descēdat in *labrū*, & cōfricari se curet o*leis rarefacientibus, chamæmelino, anethino*, &c.

Ex densitate cutis.

Cùm fatigatio seu lassitudo peperit diariam, *balneum, mollior frictio cum oleo dulci, ac multo, frequens item corporis refectio alimentis boni succi obita*, ita tamen, vt euitetur cruditas, ex vsu sunt.

Ex fatigatione.

Ex peruigilio & immoderatis animi pathematis pendēti, prodest *balneum, & dicta iam designata; quæ ad humiditatem insuper inclinet;*

Ex peruigilio, & animi pa-

clinet; & nisi capitis dolor, venarumq; in temporibus pulsatio id prohibeat *vini quoq; potus*, præsertim ijs, qui plurimas noctes insomnes transigêre, quibus speciatim quoq; applicari debent *somnifera remedia*. Hinc excipe, quos ira etiam perseuerans in febrem coniecit. Nam eiusmodi hominibus vinum obest, priusquam animi perturbatio conquieuit.

Ex ira vinum obest.

Ex inedia.

Ea quam inedia peperit, humectãte alimonia mox oblata tollitur; præsertim si corpora biliosiora sunt, & sicciora, vt est *cremor ptisanæ, lactuca, portulaca, pisces saxatiles, molli carne præditi, iuscula pullorum*, &c. Huc facit & *balneum, in quo diutius desidetur, & frictio cum oleo largo molli manu facta.*

Ex siti.

Ex siti *temperatum dulcis aquæ balneum, ac vinum bene lymphatum.*

Ex crapula.

Ex crapula *vomitus*, vbi ventriculus etiam cibo nunc turget, alioquin *clyster iniectus*, aut *glans subdita*, nisi aluus *spõte fluat*. Adhæc, *lauacrum aquæ, somnus, & quies*, benefaciunt.

Ex bubone.

Ex bubone, declinante paroxysmo, iuuant, *balneum, victus tenuis*, & *vini abstinentia*, dum inflammatio desierit.

Ex obstructione.

Ad eam postremò, quam obstructio parit, ephemeram soluendam, remedia, quæ in

synecho

ſynocho non putrida proponẽtur, cõducũt.

CAPVT VII.

De febribus ſanguineis, vel Synochis.

FEbribus diariis, ſeu, quæ ab inflammatis ſpiritibus pendent, abſolutis, ſuccedit humoralium appellatarum tractatio. De quarum numero primo loco ſe offert Synochos, (cuius Gal. meminit 9. Meth. cap. 2.) ſeu continens ſic dicta, quod vnam habeat acceſſionem ab initio ad finem vſq; perpetuò manentem, eamq; in plures dies exporrectam.

Synochus cur dicta.

Hæc febris dicitur calor immodicus in maſſa ſanguinis conceptus, qui calor quandoque cum putredine, aliquando abſque hac, infeſtat.

Synochus quid.

Vnde duplex conſurgit Synochos, vna putrida, imputris altera. Quarũ hæc tametſi finitima eſt ephemeris, earũq; generi non incommodè accenſeri poteſt, videtur tamen inter merè ephemeras, & putridas, mediam quandam ſortiri naturam.

Synochus duplex.

Cauſa.

CAuſa Synochon proxima eſt vapor, vel fumus plurimus à feruidis in corpore

Cauſa proxima.

Synochi.

ſuccis ſublatus; qui poſtmodùm non ſatis foras expirat, ſed cohibitus, atq; in venas, & arterias quodammodò reflexus, ardorem quendam præternaturalem ſanguini impertitur.

Cauſa antecedens interna.

Cauſa antecedens (Gal. auctore loco citato) eſt conſtipatio inſenſibilium cutis meatuum, ſeu pororum, vel carnium etiam ſubiectarum.

Cauſa externa.

Hæc conſtipatio quandoq; dependet à cauſa externa, vt frigore ambiente, natatione in aquis aluminoſis, limoſis, argiloſis, aut vitriolo imbutis, vel à ſole feruente, aliisq; cutim impenſiùs ſiccare valentibus.

Interna cauſa alia

Quandoq; etiam interna cauſa huic præbet occaſionem; ſi pori videlicet à ſuccis, aut multis, aut craſsis, aut lentis obſtruantur.

Locus putreſcẽtis ſanguinis ſynocho.

Omnes hæ in vniuerſum cauſæ, vbi leuiores fuerint, ſynochum imputrem, ingraueſcentes verò putridam, proferunt. In qua quidem putredine ſanguis non totus computreſcit, vel contaminatur, ſed ille potiſſimùm, qui in vaſis maioribus, inter alas, & inguina excurrentibus, continetur.

Tres differentiæ ſynochi.

Iam Synochon differentiæ (quemadmodùm videre eſt apud Gal. 9. Meth. c.3.) tres omnino computantur. Nam quædam

carun-

earundem seruant magnitudinem ab initio ad declinationẽ vsq;, quas ob id ὁμοτόνους Græci nominant, quasi semper eundem tenorem retinentes, quædam ad statum vsque iugiter crescunt ἐπακμαστικοί, id est, inualescentes, nominatæ; aliæ deniq; paulatim semper minuuntur, decrescuntq;, ideo παρακμαστικοί, id est, decrescentes vocantur. Huius tantæ varietatis causa (veluti ab eod. Gal. loco citato clarè docetur) dependet ex quantitate vaporis, siue putridi, siue imputris, qui à calore febrili excitatur, & subinde resoluitur. Nam si post prolatam febrim tantũ vaporis istius dissipatur, quantum attollitur, fit ὁμότονος si minùs, ἐπακμαστικός, si plus παρακμαστικός.

Signa imputris synochi.

Signa Synochi imputris sunt: calor ingens, vtpote ex plurimo vapore occursante manui, qualitate tamen non mordax, sed cuiusmodi est corporis à balneo exeuntis; vrinæ crassitudine, consistentiâ, colore, contentis, à naturali habitu non discedunt longiùs, pulsus ęquales, celeres, maximi, frequẽtes, vehementes.

Signa putridæ Synochi.

Putridam produnt: calor tangenti acrior; vrina putredinis indicia præseferens, id est, ad colorem roseum accedens, absq; hypostasi laudabili. Tralianus turbidam, & rubram

& rubram eam indigitat: inæqualitas in pulsu putridis febribus propria, respiratio difficilior. His addunt nonnulli exacerbationem de tertio in tertium; verùm hoc signum est potiùs alterius febris coniunctæ, aut synochi degenerantis à sua natura.

Communia vtrique signa.

Communia vtrisq; indicia tam impu-tridis, quàm putribus synochis, corporis vniuersi inprimis oculorum, & faciei, vehemens rubor, ac lassitudo, præcesserunt, quę plethoram accumulare potuerunt, & adsunt, quæ eandem præsentem testantur. Nam in frigida ætate, & corporis habitu frigido, vel gracili, vel raro, vel pauci sanguinis, synochos excitari minimè contingit, exquisitas videlicet. Quoniam febres variolarum, & morbillorum eruptionem comitantes, non desunt, qui ad synochos referendas censeant. Adhæc omnibus quasi hominibus accidunt. clarum igitur est non peræquè eas in omnibus esse synochos exquisitas, sed tantũmodò in corporibus carnosis, quadratis, & sanguineis.

Cui corporis habitui synochus accidit.

Morbilli & variolæ omnibus contingũt.

Prognosis.

Prognosis.

Synochi de genere acutorum morborum habentur, & quarto, nisi quid peccetur, vel circiter septimum diem, terminantur.

Ex

Ex imputri quæ multò securior est, in putridam facilis est conuersio; & rursus in vtroq; genere minus periculi adfert, quæ perpetuò decrescit, quàm quæ vel increscit, vel in eodem statu perseuerat.

Curatio.

Curatiò cōtinentis febris.

SCopi curationis synochi (iidem autem ferè sunt vtriusq;, nisi quòd putrida validioribus eget auxiliis) in eo consistunt, vt cutis, corpusq; adeò vniuersum reddatur trāspirabile, quæ densata sunt *relaxando*, quę obstructa *reserādo*. Item *vt feruor sāguinis obtundatur*, & *præternaturalis calor deferueat.*

A phleb: auspicanda cura synchi.

His intentionibus commodissimè satisfiet duplici præsidiorum genere, *sanguinis nempe mißione*, (nam corpus ponimus esse plethoricum, deinde causa synochi creberrima est obstructio à sanguinis exuperantia, atq; vt à constipatione pororum cutis nata sit synochus, tamen relaxantia medicamenta locum non habent, nisi pręgressa missione sanguinis, quia etiam omnia calefaciunt, & febrim augent, 9. Meth: c. 5.) & *aquæ frigidæ potu liberaliore.*

Relaxantia ante phleb: nō vsurpanda.

Quousque liceat iuxta

Sanguinem mitti volunt veteres vsq; ad animi deliquium, quòd inde totum corpus in contrarium statum agatur celerrimè

ex lipothymia scilicet refrigerata.

veterum sententiam mittere sangu.

Mittendus igitur sanguis est, nisi prohibeant vires, & ætas, aut natura alio sibi vacuationis genere salutem quærere videatur; aut cibus in ventriculo etiamnum insit crudus, qui proinde priùs vel euomendus, vel concoquendus est, aut aluus sit constipatior, quam quidem *glande subdita*, vel *iniecto enemate*, antea subducere, atque emollire, addecet.

Medicamenta pharmaceutica.

Id ipsum præstabit lene aliquod medicamentum, ac refrigerans, vt

Syrupi rosarum solutiui vnc. ij. vel iiij vel
Violati solutiui vnc. ij. vel
Bolus casiæ solus, vel permixtæ etiã vnç. ʃ. pulpæ tamarindorum.

Pauperibus medicamentum.

Pauperioribus sufficiunt
Electuarij Diaprunis lenitiui drach. 10.

Erumpẽte hemorrhagia vel sudore largo omittatur phleb.

Si omittatur phlebotomia Gal. citatus 9. Meth cap. 4. caloris natiui suffocationem, aut syncopen, impendere tradidit; nisi fortè robore virium spontanea hęmorrhagia, vel largè dimanantibus sudoribus à tanta pernicie seruetur æger. Quodcirca primo quoque tempore venam incidere oportet; sic enim natura, parte oneris leuata, ideoque confirmata, validiùs reliquam morbi materiam propellit. Vnde post phlebotomiam necessariò

cessariò

cessariò sequi solet alui deiectio, interdum etiam bilis vomitus, quas res postea excipit sudor, vel mador totiùs corporis. Quinetiã synochus putrida (eodem auctore) hoc pacto præuenitur.

De tempore nil vetat, modò vires constent, quandocunque venam aperire. Cæditur autem opportunè *Hepatica*, nisi vbi metuitur apoplexia sanguinea, vel angina; quo casu *Communem*, seu *Mediam*, præferunt.

Quo tempore, & quæ vena secanda in synocho.

Tutiùs verò est sanguinis detractionem partiri, vt inter vtramque horæ V. G. 8. intercedant, quàm semel ad animi deliquium eum profundere; nisi quis in artis operibus diu multumque versatus, vires decumbentis exactè sibi perspectas habeat, easque accuratiori quadam ratione nouerit dimetiri.

Tutius est partiri sang: quàm ad lipothymiam mittere.

In pueris vicariam phlebotomiæ operam præstant *cucurbitulæ scarificatæ*. Sunt qui (ex Gal. lib. 4. de san. tuen. cap. 10.) non dubitant phlebotomiæ ob metum, aut ætatem prætermissæ pharmaca diuretica, aut diaphoretica, oportere substituere. Quæ tamen curandi ratio non iniuria suspecta queat esse. Nam purgantia non educunt sanguinem, qui solus in præsentia, & quantitate potissimùm peccat: & Gal. per sanita-

Omissa phleb: vtrum diureticis, & diaphoreticis secundùm aliquos sit vtendum.

tem nullo vrgente periculo phlebotomiæ purgationem succedere patitur, minimè verò in morbo tàm graui atq; præcipiti. Vrinas verò cientia, quæ validiora sunt (nam leuia nil hìc effatu dignum præstant) calida cùm sint, febrim augent; eademq; (quod de sudorificis quoq; intelligendum fuerit) in tanta corporis plenitudine, & acumine morbi, minimè conueniunt. Quæ tamen in progressu morbi, exhausta iam nonnihil plethora; & si putrida est synochus, materia quadamtenus concocta, atq; domita, vsurpare nihil prohibet.

Ob imbecillitatẽ virium omissa phleb: frigida largiori haustu propinatur.

Galenus, si ób ægri pusillanimitatem prætermissa fuerit phlebotomia, frigidam largiori haustu eius loco indulget; confidentiùs verò ijs propinat, qui etiamnum sani frigidæ potationi assueuêre.

Quæ arceant à potu frigidæ.

Excipiũtur alioqui à tali poculo, quibꝰ aliquod viscus frigidiꝰ, atq; imbecilliꝰ, vtpote ventriculꝰ, iecur, pulmo, vel tumore quopiã pæternaturã laborat, vt inflãmatione, œdemate, scirrho, &c. vel si aliàs morbus ex multis lentis, & crassis, succis constat, aut cum putredine consistit, neq; signa concoctionis adhuc in vrinis ostendit.

In imputri quo

Vnde fit, vt synocho imputri quouis tempore & dum febris admodum feruet, & æstuat; putridæ autem

non

non antequàm coctionis alicuius in lotio notæ appareant, potus hic frigidæ sit permittendus. Dixi *coctionis alicuius*; integrã enim semper præstolari non licet, quia periculum est quandoq;, ne corpus intereat sub tanto æstu, emarcescat, & in hecticam insanabilem præcipitetur.

Post haustam frigidam multis stragulis æger continuò inuolui & operiri debet, vt dein, quot vsuvenire solet, vomitus, vel sudor copiosus, vel alia deiectio, succedat.

Quantum porrò frigidæ propinari licet, docet Hipp. in Epid. qui duarum heminarum, seu cotilarum, id est, vnc. XVIII. eam permittit; Gal. ad saturitatem vsq; se ingurgitare sinit.

Si quid antè dictorum aquæ poculum inhibeat, ad alia transire possumus, quę minore periculo ardorem restinguere valent: Vt sunt, *Aqua hordei saccharati.* vel *Aqua stillatitia endiuiæ, cichorei, acetosæ, fragarum. & c syrupo de limonibus, de endiuia, de acetosa, vel iulebis, rosaceo, violaceo*, permistæ.

Vbi crassus, & viscosus, fuerit sanguis, à veteribus commendatissimum est *oxymel*. Nobis *Syrupus acetosus simplex*, & *oxysacchara*, in vsu sunt.

Si pororum cutis constipatio febrim

uis tempore frigida dãda.

In putrida appa rentibus coctionis signis frigida propinanda.

Hausta frigida quid ægro faciendum.

Quantum frigidæ propinandum.

Si frigida improbetur quali asinta dhibenda.

A crasso sanguine febri genitæ potus.

A con-

stipatione cutis febris ortæ curatio.

peperit, illam, præmissa humoris morbosi vacuatione, rarefacere, atque relaxare oportet frictione molli cum linteis calentibus, ieiuno ventre, obita *inunctione* cum *oleo chamæmelino, anethino,* &c. *sudorificis mitioribus*, de quibus alias.

Victus ratio qualis esse debeat.

Victus ratio vniuersa ad frigidum declinet cum modica siccitate. Vitent carnes, vinum, oua, dulcia omnia; nisi virium imbecillitas aliud suaserit.

Quantum in impu tri & putrida cibandi ægri.

In imputrida Synocho parcissimè cibandi sunt ægri, paulò liberaliùs in putrida. Quapropter conueniēter datur *ptisana hordeacea, aceto rosaceo,* vel *succo quopiam acido, citri, limonum, aurantiorum, &c. condita.*

Panis è frigida lotus, atq; similiter apparatus.

Lactuca priùs elixa, &, vt mos fert, cum aceto (rosaceum meliùs est) & oleo tantillo concinnatur.

Ius pulli alteratum incocta oxalide, similibusque refrigerantibus.

Quo tempore cibus sumendus.

Hora sumendi cibi est, cum æger leuiùs habet; aut vbi hoc tempus expectare non possumus, quæ per sanitatem fuerant consueta.

Potus in imputri qualis.

Potus in imputri esto, aqua fōtana cruda, vel leuiter cocta, aut hordeata.

In putri

In putrida verò expedit præbere posscam,

ſcam, adiecto pauxillo ſacchari; aliis placet oxymel, aut decoctum lentium.

In declinatione morbi, & virium debilitate, vinum quoq; tenue, ac dilutum, permitti queat.

CAPVT VIII.

De febribus bilioſis; ac primùm de Cauſo, ſeu ardente.

Febris cauſi generalis acceptio.

PEr febres bilioſas, tam continuam, quàm intermittentem tertianam, & cauſon, ſeu ardentem appellatam, intelligimus. De cauſo primo loco agemus, propter cognationem, & ſimilitudinem, quam cum ſynochis obtinet, & quoniam eius curatio poſtmodùm etiam aliis bilioſis febribus accommodari poteſt.

Nomen cauſos æquiuocum.

Hoc nomen *Cauſos* æquiuocum, & pluribus febribus, diuerſæ etiam naturæ, aptatur: nam, latè loquendo, tribuitur omnibus, quæ magnum ardorem, atq; incendium, afferre conſueuerunt, vt ſynochis, & tertianis, tum intermittentibus exquiſitis, tum continuis: propriè verò, ac preſsiùs, ſignificat febrem acutiſsimam, & quæ cæ-

teras æstu suo plurimùm superat; quam describere possumus, quòd sit calor immodicus, ex humore bilioso, in venis, prope cor, inflammato, ac putrescente, genitus.

Causos febris quid?

Biliosi humoris appellatione complectimur & flauam bilem puram, & pituitam salsã, quę ipsa quoq;, si nõ in forma substãtiali, in qualitatibus saltẽ repræsentat bilem.

Biliosi humoris appellatio.

Adhæc sanguinem tenuissimum, ac feruidissimũ, qualis apud Gal 2. de arte curat. ad Glauc. cap. 1. etiam erysipelata quandoq; progignit.

Omnis hic biliosus humor, sub quacunq; acceptione audiatur, potest vel in venis cordi vicinioribus tantùm, vel simul per omnia vasa, quæ sunt inter alas, & inguina, putrescere.

In quibus venis putrescat bilis.

Venas prope cor dicimus, quæ pulmonem intertexunt, & hepar, cauam potissimum euisdem partem, ventriculo incumbentem, ventriculum ipsum, maximèq; eius orificium, vel loca ventriculo proxima, vt ieiunum intestinum.

Causos alius legitimus est, alius spurius. Legitimus censetur, qui ex flaua bile, aut tenuisanguine. Illegitimus, qui ex pituita salsa cum bilis permistione trahit originem.

Causos duplex.

Quibus annumeratur etiam causos alter,

ter, cùm ſanguis bilioſus extra venas extenditur, aut attrahitur ad parenchymata, vel carnes hepatis, pulmonis, ventriculi, vbi proinde eryſipelas, vel phlegmone eryſipelatodes, ſuſcitatur. Modum, quo cauſos generatur, docuit Hipp. 4. acut. ſub initium.

Cauſa.

Cauſæ antecedentes febris ardentis.

CAuſæ febris ardentis antecedentes ſunt eædem cum aliarum bilioſarum febrium cauſis, omnia nimirum, quæ magnum bilis prouentum in corpore faciunt, eandemq; incendunt, & putrefaciunt: inprimis iter longum, & quæuis alia exercitatio valida; cœlo præſertim æſtuoſo, ac flagrante, veluti ſub caniculam: abſtinentia etiam, vel nimia cibi potuſq; parſimonia; aut eorundem calidiorum vſus: vigiliæ, curæ, mœrores, ira, &c.

Signa.

Signa propria cauſi.

SIgna pathognomonica, id eſt, propria, atq; perpetua, ſunt intenſiſsimus calor, ſitis ingens, in legitimo magis, minùs in notho, conſpicua.

Signa minùs propria.

Minùs propria, ſeu, quæ ſinedrophonta, id eſt, aſsidentia, nominantur, computari ſolent,

ri solent, lingua sicca, asperaq́, nigra, amara quandoq́, alias etiam salsa: tormina, & cruciatus, ventris: in causo bilioso aluus liquida, & pallida, deijcit; in altero à pituita salsa alui fluidæ simpliciter meminit Hipp. in Coacis prænotionibus. Vigiliæ, mentis perturbatio, seu delirium, dyspnæa. Quæ signa prout in hanc vel illam partem magis impetu fertur morbi materia, etiam ipsa euariant.

Prognosis.

Prognosis.

CAusos, vt vehemens admodùm, ita periculosus, & breuis, est morbus.

Rarò quidem senibus, sed tamen maiori cum pernicie, accidit.

Deploratæ sanitatis auguria sunt, per Aph. 48. sect. 4. si interiora vruntur, frigent extrema, & sitis adest, nigricante interim lingua. Adhæc, mali ominis est, plurimùm, ac vehementer, delirare; stillicidium item sanguinis ex naribus, & quæcunq́ alia excretio pauca. 2. Prorrhet. tex. 47. & cætera apud Hipp. ex prognostico repetenda.

Quomodo febris ardens

Finitur causos salubiter hæmorrhagiâ narium, & rigore superueniente. 4. Aph. 28 non tamen semper, nisi rigorem excipiat

cipiat alui fluxus, vomitus, vrinæ copia, sudores. Alioquin constat ex eodem Aph. lib. tex. 46. rigorem, febre non deficiente, ægro iam debili, incidentem minari mortem. finiatur.

Curatio.

SCopi curationis sunt biliosum humorem tum emendare, tum euacuare: intemperiem calidam, siccamq́; corpori vniuerso, præsertim verò cordi, atq; hepati, inde contractam, extinguere: ac demum, si quæ sunt grauiora symptomata, quæ deesse nunquam solent, eisdem lenimen adferre. Scopi curationis.

Biliosus humor varijs modis vacuatur, hæmorrhagia, vomitu, secessu, vrinis, sudoribus.

Emendabitur frigorificis remedijs intus forisq́; adhibitis, & corpore perspirabili reddito.

Hæc eadem calidam, à bile impressam, intemperiem, extinguere nata sunt.

Symptomata, quibus succurri maximè decet, sunt virium imbecillitas, vigiliæ, sitis.

His intentionibus, quæ sequitur, curatio satisfaciet, Et quoniam causon duplicem suprà constituimus, priùs de legitimo sermonem instituemus. Vnde curatio auspicāda.

 In hoc

In hoc igitur, siue à syncera bile, siue à bilioso pendeat sanguine, dummodò vires, & ætas consentiant, venam quamprimùm aperiendam arbitramur, partim refrigeria ventilationis causa, partim reuulsionis. Nam alioquin metus, ne is copiosior ad loca cordi vicina, propter eorundem ardorem, attrahatur, & ibidem adustus, inflammationem pariat. Deinde, videmus naturã, cuius rectè operantis imitatorem decet esse Medicum, frequenter causon hęmorrhagiâ narium salubriter iudicare.

Medicus naturæ minister.

Emittitur verò commodè ex vena brachij dextra interna; nisi in pulmone, præsertim dextro, focus sit febris; quo casu antefertur sinistri cubiti vena.

Quæ vena secanda.

Liberalissimè porrò exhauriendus est sanguis, ad eum ferè modum, quem in synocho præscripsimus. Parciùs in causo à flaua bile, & anni tempore æstuoso, aliisq; circumstantiis, quæ cautiores nos esse iubent in detrahendo sanguine. De quibus vide Gal. lib. de rat. curan. per venæ sect. cap. 13. & 14.

Quantum sanguinis hauriendum.

Si amarum fuerit os, bilis priùs vomitu (vt docetur 4. de rat. vict. acut. initio) est reijcienda, & venter clysmate est subducendus.

Vbi turget materia, primo statim die pharmaco est opus, per Aph. 11. sect. 4. Metuendum enim ab vlteriori procrastinatione, ne vires resoluantur, caliditas febrilis ad summum excrescat, aut humores putrescentes in membro aliquo principe ita defigantur, vt eius calorem innatum sua vel mole, vel putredine, obruant, ac perdant penitus.

Turgente materia primo statim die medicandum,

Pharmacum porrò ita comparatum sit oportet, vt sinè manifesta caliditate suo pertungatur munere. Cuiusmodi habetur.

Pharmaca pro pauperioribus.

Flor. Cassiæ,

Elect. Diacathol.

Elect lenit. Florenzolæ, addendo pro stimulo *Elect. de succo rosʃ.* vel *Dia prun. solut. drach. j. vel drach j.ʃ.idq; forma boleti*; vel *dissoluendo in decoctò prunorum, sebesten, tamarindorum, in aqua endiuiæ, & viol. parato.*

Lautioris fortunæ hominibus exhiberi potest *Rhabarbari infusi drach. j.ʃ. in eadem aqua* vel *sero lactis, addendo syrupi rosʃ. solut. vncias duas, vel tres;* aut *syrupi viol solut. diligenter parati.*

Pharmaca pro ditioribus.

Quòd si materia non turgeat, nihilominus eiusmodi medicamentis erit locus, leniendæ videlicet alui gratia; nisi per se fuerit

Non turgente materia v-

Leniter pur-gandum. fuerit lenis; quamuis minori paulò quantitate, & prætermissis ijs, quæ stimuli causa superioribus adiungenda docuimus. Potissimùm verò id opus est facto, cùm bilis multa in ventriculo, & vicinioribus locis, contenta, ex ardore, morsu, nausea, oris amaritudine, innotescit.

In principio morbi ante phleb. leniter purgandum.

Quibus signis ante phlebotomiam adhibitam apparentibus, priusquàm vena vulneretur, lenem eiusmodi purgationem adhibebimus. Aliàs vbi in principio morbi neglecta fuerit, plenior illa purgatio inposterum nullum habebit locum, vsque dum coctionis notas vrina demonstrabit, ac tum demum si nullam crisim ad excretionem natura attentauerit.

Quid in totius morbi decursu faciendum.

Per totius autem morbi decursum adhibebuntur, quæ biliosi humoris acrimoniam, ardorem, & corporis incendium restinguere nata sunt, quorum copiam subministrabunt nobis ea, quæ infrà in ratione victus dicentur. E quibus tamen non conueniunt, vel summè frigida, vel cum frigiditate simul adstringentia. Quoniam & putredini officium, & harum febrium crisim, quæ plerunque aut hęmorrhagiâ, aut sudoribus, terminantur, impediunt. Atque extremè refrigerantia humores ad expulsionem

ineptos

ineptos efficiunt. Stiptica verò insuper vias præcludunt non solùm ad crisim, sed etiam ad febris remissionem, quæ ex humorum ebullientium perspiratu contingit.

Quæ laudantur, & quoties in die offerenda.

Quocirca bis die, more syruporum, propinabitur conuenienter

Aqua hordei delibrati, admixto syrupo violaceo, rosaceo, de nymphæa; vel detur

Syrupus acetosus simplex,

De limonibus,

De acetositate citri,

De acetosella,

Oxysacchara simplex, Cum aqua nenupharis, portulacæ, acetosæ, boraginis, endiuiæ, fragorum, quadrupla, vel sextupla.

Dulcia diluenda copiosiore aqua.

Quoniam in hac adeò flagrante, & æstuante febre, consultum est, dulcia ista, seu saccharata, copiosiore aqua diluere, vt sic minùs promptè bilescant, quàm communiter in alijs febribus solemus, cùm ipsemet Hipp. mulsam hoc casu aquosam solùm exhibeat.

Potiones quæ conueniunt.

Potiones verò eiusmodi dantur actu frigidæ. Aëtius Tetrabibli 2. serm. j. cap. 28. quemadmodùm etiam Arabes quidam, nihil dulce admittunt, sed pro syrupis offerunt manè haustum aquæ, in qua macerata fuerit vncia j. pulpæ tamarindorum. Verùm

locum

locum habere possunt ista in Lybia, Africa, alijsq; meridionalibus, & ardentioribus terræ partibus, nos temperatiorem incolimus patriam.

Haustus frigidæ apparentibus signis coctionis confert.

Apparentibus iam coctionis indicijs vel perfectissimè, vel saltem mediocriter, præclarum causi legitimi præsidium est haustus frigidæ largior, obseruatis tamen conditionibus iam antè designatis: cùm, veluti insinuauimus, à tali poculo non solùm vomitus, sed & aluus, sudores, lotium, subinde cieatur.

Balneum frigidæ conducit cæteris paribus. Item solium temperatum.

Eodem etiam tempore vsui esse queat aquæ frigidæ balneum, quemadmodum Gal. indicauit 3. de rat. vict. acut. Com. vlt. si æger est iuuenis, bene carnosus, assuetus, æstate media, &c. quorum si quid desit, præstat solium temperatum: quanquam in nostra regione rariùs præsidijs eiusmodi locus esse queat.

Exterioramedicamenta frig: cui parti applicanda & quando.

Exteriùs præter aliarum febrium morem, prætermissa tamen vacuatione, statim inter initia morbi, frigida thoraci, ac regioni cordis, veniunt applicanda, si (quod causos legitimus ferè hæc cum synocho commune habet) nullas euidentes faciet remissiones; alioquin minimè. Tum enim in vigore exacerbationis consultiùs adhibent.

bent. Enimuerò non pectori solùm, sed & hepati, & ventriculo vtiliter applicantur, si fomitem mali illic latere suspicati fuerimus. Id ipsum quoq; fiet & lumbis, & testibus.

Cardiacum epithema quomodò parandum.

Cardiacum epithema parabitur ex

Aquæ V. G. rosf.
Boraginis,
Nymphææ, an. vnc. iiij.
Aceti rosati vnc. j. ʃ.
Vini albi odoriferi, quale est Creticum, seu Maluaticum vnc. ʃ.
Spec. diatrion sant.
Diamar. frig. an. drach. j.
Croci,
Camphoræ, an. drach iiij. Ex hoc panni madentes, refracta nonnihil inter manus eorum frigiditate, pectori ea parte, qua cor est situm, applicantur.

In summo ardore quid faciendũ.

In summo ardore, & squalore, lintea decocto hordei spissiore insuccata (quod pro ditioribus *ex aqua violarum, aut lactucæ, vel simili paratur*, pro tenuioribus *ex aqua fontis*) toti thoraci magnâ vtilitate induci queunt, *cum subduplo, aut subtriplo olei violacei calentis.* Vel *vnguentum* infrigidans *Galeni recens confectum. Admisto in præparatione succo plantæ alicuius refrigerantis, lactucæ, solani; &c.* Quod vbi multũ incaluit, mox immutatur. Vel deniq; *mucilago seminũ psyllij a*

Vnguent. Gal. infrigidans,
Rosatum Mesues,
Succus lactucæ, vel
Semperuiui, æquis partibus inter se contemperati.

Hepaticum epithema qua ratione conficiendũ.

Hepaticum epithema componetur ex
Aqua, vel *succo*, *rosarum*,
Solani,
Cucurbitæ,
Semperuiui, *ana vnc. iiij.*
Absinthij vnc. ij
Puluere rosarum rub.
Spodij,
Trium santalor. an. drach. j.
Aceti rosati vnc. ij
Camphoræ Gr. V. vel scrup. ß.

Galeni cataplasma.

Huc etiam faciunt *vng. santal.* & *rosatum ex aqua & aceto rosaceis prius abluta.* Galenus commendat *cataplasma ex farina hordei cum succo lactucæ, polygoni, plantaginis, &c. subactis.*

Quod lumbis conueniens.

Lumbis conueniunt iam dictum *infrigidans Galeni*, *adiecto tantillo camphoræ*, identidem repetendum, ne scilicet nimiùm incalescat.

Genitalibus quid admouendum.

Genitalibus admouere vtile est *aquam rosarum cum aceto, & pauxillo vini, confusam.*

Topicis quando abstinendum.

Circa hæç porrò topica in vniuersum diligenter attendendum, ne veniant in vsum, cùm sudoris erupturi signa conspiciuntur;

untur; maximè diebus criticis. Vide Gal. 3. de crit. cap. 3.

Ad symptomata, quæ magnum in hac febre Medico negotium facessunt, præcipuè pertinet virium imbecillitas; quæ tametsi congruente victus ratione, de qua mox, emendetur; potest tamen alijs quoq; modis haud parùm fulciri. Huc igitur spectant epithemata iam dicta, & odores grati ex rebus refrigerantibus, aut temperatis, excitati. Item quæ peculiariter restaurantia dicuntur, conseruæ, condita, destillata, decocta, pulueres, & aliæ formulæ passim apud auctores expositæ. De conseruis præferuntur alijs:

Quæ præcipua huius febris symptomata.

Restaurantia vires.

Conseruæ.

Rosarum,
Violarum,
Nymphææ,
Boraginis,
Iuiubæ, quibus permisceri queant:
Species diamarg. frig. & parū aliquid
Confectionis Alkermes.

Ex decoctis istud inter alia efficacissimum est:

Decocta.

℞. *Conseruæ rosſ.*
Boraginis an. vnc. j.
Conseruæ viol.
De florib. nymph. an. vnc. ſ.

Spec. diamarg. frig. drach. iij.
Fol. auri num. 4.
Iusculi capi sufficienter elixi lib. ſ.
Aqu. rosar.
Violar.
Nymph. ana vnc. iij. Omnia in vase vitreo diligenter obturato ponantur, & in B. M. leuiter coquantur. Dosis excolati liquoris sæpiuscule cochlear j. Inter pulueres primas meritò sibi vendicat, qui ex margaritis in succo limonum, aut citri, dissolutis concinnatur: quem in aqua caponis, aut boraginis, vel diluti vini tantillo, aut conseruis cordialibus, aut iulepo quopiam iucundi saporis, præbere possumus.

Dosis liquoris dandi.

Peruigilium moderantur, & somnum conciliant, *vnguentum rosatum Mesues, aqua rosata ablutum, & cum duplo vngu. popul. ad instar cataplasmatis linteo inductum:* sicque, vt frontem, & tempora, complectatur, adhibitum.

Peruigiliũ moderantia, & somnum conciliantia.

Præterea extremorũ lotio bis die facta ex

Decocto flor. viol.
Nenupharis,
Anethi,
Cortic. radic. mandrag.
Folior. salicis,
Lactucæ ana M j.

Semi-

Seminum hyoſcyami albi vnc. ſ.
Capit. papau. albi cum ſeminibus
num. X. præparato.

Cùm noctu cubare volet,

℞. Syrup. de papau. vnc. I. vel ij. cum aq.
Nymphææ, violar. lact.

Eundo cubitum quid ſumendum.

Succum, cremorem, aut emulſionem è ſeminum papaueris albi drach. 2. 3. 4. additis paucis aliquot amygdalis dulcibus excorticatis, cum aq. ſimpl. calida, aut quod præſtantius eſt, decocto hordei, paratam: adiecto, ſi dulcibus æger delectatur, ſubinde ſaccharo, aut iulepo violaceo,
Quibus tamen omnibus præſtat diacodeon Gal. ad vnc. ſ. drach. vj, aut, ſi vetuſtius eſt, vnc. j. datum.

In pertinaci vigilia, quæ phrenitidis metum incutiat, aliquid verè, ac propriè, narcoticorum præbere tentandum eſt, vt ſunt:

In pertinaci vigilia quid ſumendum.

Requies Nicol.
Philonium Romanum,
Pilulæ de cynogloſſo,
Theriaca recens, &c. A quibus tamen, veluti antè monuimus, ex 3 Gal. de criſ. temperandum erit, vbi ſigna imminentis hęmorrhagiæ criticæ ſeſe proferent.

Sitim ſedant.

Sitim compeſcunt:

Lactuca, vel

Portulaca recens in aceto præmaccerata, & commansa, aut
Citria mala, vel
Limones, orbiculatim concisi, saccharoq; respersi,
Pulpa tamarindorum ore retenta, item
Psyllij mucilago, ex aqua viol.
deprompta, & cum f. q. calidissimi sacchari in mortario ad albedinem vsq; agitati, cuius mixturæ crebrò quippiam ore versandum est.

Multùm quoq; ad hanc rem faciunt fontes aciduli, quibus locis commodè haberi possunt: quos hodie nonnulli dexterè imitantur aliquot guttis olei vitrioli, aut sulphuris correcti, in frigidam coniectis, beneq; inter se mixtis, atq; agitatis.

Vsu insuper, & experientia, constat, plurimùm in hoc genere posse epithemata omnis generis, paulò antè descripta, si quãtitatem aceti in compositione auxeris. De cæteris, quæ passim in Pragmaticorum libris prostant, nihil in præsentia.

Diæta qualis.

Diæta in vniuersum frigida & humida esse debet. Quocirca cubet æger in loco frigido, suaui auræ exposito, atq;, si res patitur, ad Septentrionem conuerso: corpus tamen interea iniectis stragulis contegatur,

tur, fiat flabello ventulus, aqua gelida de vase in vas assiduò transfundatur, & eadem pauimentum sæpiuscule conspergatur: cuius loco pro ditioribus *aquam rosaceam, & acetum effundere licebit, iisdemq; imbuta lintea ex parietibus suspendere.* Inferuntur etiam cubiculo vtiliter *plantæ refrigerantes, violæ, rosæ, flores nymphææ, iunci, lactucæ, portulacæ, folia vitis, frondes salicis.* Non admittantur multi homines simul ad decumbentem, quorum halitu aër incalescere potest. Præstat quoq; in lecto ampliori iacere, vt quis commodè huc illuc se transferre queat.

Victus qualis.

Cibus esto *ptisana hordeacea, cremor lactucæ, cucurbita cocta.* Apud nos ob consuetudinem paulò pleniùs cibare oportet; ac proinde permittimus *iuscula gallinaceorum pullorum in cocto hordeo, vel folijs lactucæ, acetosæ, portulacæ, alteratorum, aut tantillo aceti rosacei, succi limonum, citri, &c. addito.* Permittitur etiam *gelatina*, sinè cinnamomo, & aromatis, parata.

Qualis potus.

Pro potu vtatur decocto hordei, aut aqua fontana cocta cum syrupo, iulepo, aut saccharo violato, aut rosato; prodest etiam fontana, in qua maceratus fuerit panis ex altera aqua priùs elotus; Vel quæ sequitur oxysacchara:

℞. Aquæ

℞. *Aquæ font. lib. iiij. ſ.*
Sacchari albi vnc. ij. ſ. Coquantur ad consumptionē lib. vnius, adijciendo in fine coctionis aceti acerrimi vnc. iij. Misce.

In vigore potus.

In vigore autem, seu statu totius morbi, nullus aquæ simplicis potus æquiparari potest.

Aluus, nisi lenis sit clysmate subducenda.

Aluus, nisi sponte respondeat, alternis diebus leni, ac refrigerante, clysmate est subducenda; cuiusmodi paratur *ex sero lactis, & decocto violariæ, maluæ, endiuiæ, cum melle, & oleo, violaceis.* Hactenus de causo legitimo solo, ac per se, infestante. Qui enim inflammatorios viscerum affectus comitatur, non hîc inter febres, sed in particularium morborum curatione locum promeretur.

CAPVT IX.

De causo notho, seu, febre ardente spuria.

Causos spurius quando generatur.

CAusos spurius, qui propterea, quoniam in fine Hyemis & Autumni potissimùm affligit, hybernus etiam dicitut, loco quidē generationis à legitimo dicto non discrepat, materia tamen discrepat, constat enim

è pituita

è pituita salsa, vel sola, vel bilis admistione adulterata.

Causa.

CAusas igitur habeat mixtas necesse est, quæ partim bilem, partim pituitam, tum faciant auctiorem, tum putrefaciant, & accẽdant. Vt cùm quis V. G. ætate, temperamento calidus, in septentrionali regione, causo corripitur.

Causa quæ.

Accidentia, seu symptomata, quæuis in hoc, quàm genuino, mitiora, ac veluti dimidiata tantummodò sunt.

Symptomata qualia.

Signa.

SIgna huius mali apud Hipp. 4. de rat. victus acut. t. 13. sunt: aluus soluta, sitis magna, nondum tamen prorsus implacata, seu (vt loquuntur Scholæ) extensa magis, quàm intensa. Adhæc, lingua arida, aspera, & salsa: Vrinæ paucæ comparatione causi legitimi, ac minùs procedentes, ob pituitæ lentorem & crassiciem scilicet. Adest insomnium, sed longè hic mitius, propter vaporosam pituitæ naturam. Addit extremorum refrigerationem, quod de lethali

Signa quæ.

tamen, ac maligno, caufo accipiendum, ob vifcerum inflammationem, & natiui caloris imbecillitatem.

Prognofis.

Prognofis. Epid. 5. fect. 2. t. 85. mitiorem hunc facit Hipp. priore. Soluitur & ipfe hęmorrhagiâ narium, atq; aliarum febrium pituitofarum ritu, parotidibus, vel abfceſſu, poft aures enato, iudicatur: tum etiam dolore coxendicis, aut cruris, & fputo craſsiuſculo; quæ tamen omnia magis adſtrictâ, quâ fluente, aluo accidunt.

Curatio.

Curatio. IN hoc cafu venæ fectio non adeò neceſſaria per fe eft, nifi cùm plethorica difpofitione iungatur: fed nec potus frigidæ, neq; alia actu, aut virtute, impenfiùs refrigerantia ex vfu funt.

Trallianus lib. 12. cap. 4. temperatiori quadam, feu miti, ac tepido calore prædita medicamenta commendat, cuiufmodi in externis *epithemata, vel cataplafmata, ex feminibus lini, fænugræci, farina hordei, fabarum, chamæmelo, meliloto, & c. queant parari.*

Humor

Humor febrificus, obseruata semper coctione, & motu naturæ, temperatioribus remedijs tractandus est, vt sunt inter præparantia: *oxymel, mel rosatum simplex*. De purgātium classe, *agaricus, rhabarbarum, polypodium*, atq; his similia; quorum farraginem in curatione tertianæ spuriæ reperire licebit.

Præparantia. Purgantia.

Victus ratio quemadmodùm minùs refrigerans, ita paulò plenior, permittitur.

Victus ratio.

CAPVT X.

De tertiana febre continua.

Tertiana continua fit ex bile putrescente in vasis minoribus, & à corde non nihil remotioribus; nunquam ad verā apyrexiam, seu, omnimodam intermissionem, perueniens, tametsi tertio quoq; die tantisper de vehementia, & ardore suo, remittat; adeòq; ægrum respirare quadamtenus sinat.

In tertiana continua qualis putrescit humor, & in quibus vasis.

Causa.

Causas tam internas, quàm externas easdem cum febre ardente sequitur, nisi quòd hîc sint leuiores, & bilis minùs sit inflammata, contineaturq; in vasis, velut antè monuimus, à corde paulò magis distantibus.

Causæ huius febris quæ.

tibus. Vnde etiam euenit, vt alternis diebus, parte aliqua bilis putridæ per patulos cutis poros exhalante, febris remißior fiat: mox verò eadem bile, exustione sanguinis denuo accumulata, nouus insurgat paroxysmus, ac tertio quoq; die febris redintegretur.

Signa.

Signa febris tertianæ continuæ.

SIgna tertianę cõtinuę sunt: inuasio sinè frigore, horrore, rigore; æstus totius magnus; affligit cephalalgia, adsunt, delirium, vigiliæ, linguæ ariditas, quæ flauo interim calore tincta est, interim etiam nigricat; vrgent sitis, & ventris constipatio; expiratio maior est inspiratione; pulsus celer, frequens, inęqualis; vrina rubra, vel flaua, tenuis consistentię, atq; ignea, quę initio nonnihil turbida videtur. in summa: omnia ferè, quæ in causo dicta fuêre, hîc quoq; se produnt indicia; nisi quòd mitiora sint, & alternis diebus crescat febris, alternis decrescat.

Prognosis.

Prognosis.

HÆc febris semper cum periculo iuncta est, ob ipsam tum continuitatem, tum acumen; minùs tamen ardente vocata lethalis habetur.

Paratiora in hunc morbum, velut etiam quosuis alios biliosos, (teste Gal. 8. Meth. c. 8.) sunt corpora, quæ temperamentum calidum siccum, vel iecur saltem calidius, obtinent, habitu gracili, ætate iuuenili, laboribus corporis, ardoribus, curis, vigilijs, &c. exposita, victui parco, calido & sicco, adsueta, maximè æstate, & in calidis siccis cæli plagis habitantia, aëre præsertim æstuoso: adhæc quibus euacuatio seu spontanea, seu artificiosa, aliàs consueta, fieri desijt.

Quæ corpora sint huic febri magis obnoxia.

Curatio.

CVratio tertianæ continuæ à causi therapeia nil discrepat, nisi quòd leuiùs refrigerantia præsidia (de quibus etiam in sequenti capite, de tertiana intermittente, aliquid) & victum nonnihil pleniorem, exigat. Vbi verò crisis iam præ foribus est, tum in hoc, tum alijs quoq; morbis, ab omni medicatione abstinere decet, ipsiq; naturæ totum committi negotium.

Curatio discrepat

Vbi crisis adest, medicandum non est.

CAPVT XI.

De tertiana periodica, seu intermittente.

Intermittens ex quo generatur humore, et in quibus contineatur vasis.

TErtiana intermittens dicitur febris, cui bilis occasionem præbuit, vel extra vasa, vt voluit Capiuaccius lib. 6. Prax. cap. 29. & Trincauellus Com. j. de art. curat. ad Glauc. cap. 7. vel intra vasa, minora tamen, quæcunque à minoribus ad maiora propellatur, vt Cardano lib. de causis, sig. ac locis morborum, prima parte, paragrapho 29. Hemitritæus, &c. & Fernelio 2. de abditis rerum causis cap. 13. placuit, alicubi in corpore putrescens, ac tertio quoque die assidigens, ad infebricitationem autem alternis perueniens.

Quottuplex sit febris intermittens.

Hæc in duplici solet esse differentia. Vel enim humor morbificus est solus, ac syncerus; & tum gignit tertianam exquisitam: vel miscellâ alicuius alterius succi deprauatus, & prodit spuria, aut notha tertiana communiter dicta. De priori in præsentia, de altera verò deinceps, agemus.

Causa.

Causas quas sibi vendicet.

CAusas tam internas, quàm procatarcticas, tertiana agnoscit easdem, quas habet ardens, omnia videlicet, quæ maiorem bilis in corpore prouentum parare queunt; de quibus iam antea, neque enim materiâ,

sed

sed solo putredinis foco hæc ab illa discrepat.

Vt porrò tertiana exquisita gignatur; necesse est causas allegatas vel omnes, vel potissimas certè, temperamentum scilicet, ætatem, victum, regionem, statum cœli, tempus anni, biliosa, seu calida sicca omnia in vnum conspirare: alioquin pura, ac mera bilis, cui hæc febris originem suam debet, haud generabitur.

Quæ requirantur vt hæc febris generetur.

Signa.

Signa in multis conueniunt cum notis tertianæ continuæ, propriè tamen hanc præ alijs designant, & veluti digito monstrant hæc, quæ sequuntur, septem: Modus inuasionis; qualitas caloris; pulsus; vrina; paroxysmi duratio, atque terminatio; circuitus; similitudo morborum populariter grassantium.

Septem præ aliis signa hanc adesse indicant, quæ propria illi sunt.

Nam, quantum attinet ad primum; inuadit hæc febris statim inter initia cum vehementi rigore; qui rei acutæ corpus vulnerantis, atque pungentis, sensum præseferat.

Quomodo inuadit hæc febris.

Qualitas caloris aëris ad tactum, vnde febris ista causodes, seu quæ causon repræsen-

Calor qualis.

præsentat, à Gal. 2. de diff. febr. cap. 3. appellatur? Verùm ea inter vtrumq; est differentia, quòd æstus ille in hac primo solùm occursu appareat: deinde paulò pòst sub manu contrectantis remittat, & mitigetur: in ardente autem semper sibi similis perseueret. Idē calor in vigore febris (quo tempore symptomata etiam omnia, sitis, æstus, &c. ingrauescunt) æqualiter per totū corpus expanditur, extremis artubus, non minùs ipso thorace, feruentibus.

Quomodo calor ardentis et intermittentis differat.

Calor in vigore pertotum corpus expanditur

Pulsus inchoante inuasione debilis est, paruus, tardus, rarus, minùs tamen quàm quartanæ: quinimo tarditas à statu naturali proximè distat. Ordinatus item est, & æqualis, tam in vno, quàm pluribus ictibus: sed in augmento protinus euadit magnus, vehemens, celer, frequens; omnis inæqualitatis, præterquàm febrilis, expers. Est autem febrilis inæqualitas, vt celeriorem habeat systolen, quàm dyastolem. Id quod putridas febres omnes, ceu character quidam, obsignat.

Pulsus qualis inchoante inuasione.

Qualis est idem in augmento.

Vrina qualis.

Vrina, vt inquit Aëtius Tetrabib. serm. 5. cap. 19. cholerica est, seu rufa, eademq; primis diebus nubeculam, vel enæorema laudabile ostendit.

Paroxismus quantus.

Paroxysmus 12. horas vix excedit. Auicennas

cēnas (j. quarti tract 2. c. 35) ait à tribus ad duodecim, quandoq; à quatuor ad quatuordecim, accessionem extrahi; communiter autem 7. horis absolui; quæ de nostra solùm tertiana, seu inexquisita, inaudire par est. Quòd si producatur paroxysmus vlteriùs, tertiana simpliciter, & citra adiectionem, atq; quò quies breuior ipso paroxysmo fuerit (qui aliquando ad 18. 24. 36. horas ascendit) tantò magis extensa tertiana nominatur 2. de diff. febr. cap. 8. Peculiare insuper huic morbo est, finiri paroxysmũ sudore, vomitu, deiectione alui, biliosis.

Circuitus tertianus est, seu, febris tertio quoq; die reuertitur. Attamen huic signo, quòd à numero dierum petitur, parum firmitatis inest: proinde bene Gal. monet, j. de diff. cap. 10. *Præstat febris ipsius modũ, & formam, diligenter considerare, cùm ex hac ipsa febres dignoscantur, haud aliter quàm homines ex figura, & propria forma, cognoscuntur.*

Circuitus qualis, & quotodie.

Postremum signum à simili petitum, nempe, si febres tertianæ id temporis passim in populum grassantur, nón iniuria suspicari licebit, febrim, quæ tum affligit, tertianam potiùs fore, quàm alterius generis.

Signum à simili petitum.

Prognosis.

Prognosticum.

TErtiana exquisita periculum haud minatur, j. Epid. sect. 3. cap. 8. & j de art. curat. ad Glauc cap. 8. atque eadem celeriter finitur, quoniã septenas periodos, quod longissimum est, non excedit. 4. Aph 49. potest enim, & verò etiam quandoque solet paucioribus paroxysmis, terminari, & quẽadmodùm Auicenna j. quarti citato cap. 27. ait, ob materiæ subtilitatem, subinde in vnica accessione hanc febrem consumi, vbi vel vomitus, vel fluxus alui superuenerit.

Quot periodis finiatur.

Quid primodic ex vrina colligitur.

Quòd si primo statim die vrina nebulam albam, aut enæorema, monstrauerit, significatur febrem vltra quartum circuitũ non progressuram; atque adhuc citiùs desituram, si pro nebula hypostasis laudabilis primo die conspiciatur.

Quantò exquisitior tantò breuior.

Quantò exquisitior est tertiana, tantò breuior, & curatu facilior, erit. Vbi autem in septimum vsque paroxysmum extrahetur, tum statum, seu rigorem, ideòque symptomatum omnium grauissimã exacerbationem, in quarto habebit; quod idcirco monere voluit, ne si vel aperta circa id tempus vena, vel propinatum fuisset medicamentum, vehementia illa accidentium tunc emergentiũ medicationi potiùs, iniuriã tamen, quàm morbo, imputetur.

Cura.

Curatio.

SCopi curationis eò spectare debent, quemadmodùm in causo monuimus, vt flauæ bilis feruor, atq; putredo, inhibeatur, corporis ex ea concepta caliditas immodica ad contrarium permutetur: quod partim euacuantibus, partim alterantibus, assequi poterimus, atq; ijs etiam, quæ obstructiones expediant, sinè euidenti excalefactione, ne videlicet febris inde sumat incrementum. Quoniam nisi corpus peruium, ac perspirabile, efficiatur, frustra in expugnanda putredine laborabimus.

Scopi curationis in quibꝰ consistũt.

Curatio, ni sponte aluus officium fecerit, incipiet, quietis tempore, ab eiusdem lenitione, aut irritatione: sollicitabitur *glãde subdita*, vel, quod præstat, *molli clysmate è sero lactis, hydrelæo, & sacch aro*, vel *modico mellis*, aut èx *decocto violaræ, maluæ, hordei, melle rosato, oleo violato, cum tantillo salis concinnato*.

Curatio vnde, & quo tempore auspicanda.

Instante iam paroxysmo, si quidem vomiturit æger, iuuandus *potu aquæ simplicis*, aut *hordeaceæ*, *cui parum quid aceti fuerit ad mixtũ*, vel *syrupus acetosus*, vel *oxymel simplex*.

Instante paroxysmo quid faciendũ.

Huc etiam *digitus* facit, vel *penna oleo imbuta* faucibus inserta.

In paroxysmo nihil moliendum.

Alioquin quamdiu durat paroxysmus, nil aggrediendum, & cùm à somno, tum cibo, potuq́; , si fieri queat, advsq; inclinationem accessionis abstinendum; nisi æger fuerit pichrolos. Quo casu, & proximè ante paroxysmum, & eius quocunq; tempore, ad præcauendam vel lypothymiam, vel syncopen, aliquid *cibi, potusúe*, offerre docet Gal. 10. Meth. cap 3.

Vrgente siti quid dandum.

Vbi sitis clamosa vrget, expanso iam in totum corpus calore febrili, præbere poterimus *iuleb rosatum*, aut *conseruæ ros.* vel *violarum* (nisi fortè profluuium ventris adsit) *dilutum aqua fontana laudabili*, aut *leuiter cocta, in qua panis emaduerit aliquandiu, aut hordeata.* *Quinetiam eam colluere*, vel *ore versare*, proderit, quę sitim tantisper fallunt, vt sunt: *pruna, passulæ, cerasa acida in aqua præmacerata*, aliaqúe, quorum capite de causo facta est mentio.

Ad leniendum rigorem quid faciẽdum.

Ad leniendum verò rigorem, panni calentes spinæ dorsi, hypochondrijs etiam *fomenta*, commodùm admouebuntur. Probantur quoq́; , desinente iam rigore, *leues quædam extremorum frictiones*, quò febrilis æstus expeditiùs è corporis penetralibus foras erumpat.

Declinã-

Declinante paroxysmo, si nausea, & vomen-

vomendi desiderium, teneat, *titillentur fauces* eo modo, quem in principio accessionis propofuimus.

te paroxysmo quid aggrediendum.

Sin ad sudores paratum sit corpus, iisdem opera dabitur, *pluribus stragulis*, ac *tegumentis, iniectis*, & *epota aqua hordeacea adhuc calida; aut decocto milij integri, adiecto postea subduplo, aut subtriplo, vini albi., quem syrupum S. Ambrosij nominant.* Hæc in paroxysmo.

Extra paroxysmum quomodo procedendum.

Extra paroxysmum ita procedi debet. Tempore infebricitationis, seu quietis, statim in principio, prima corporis regio leniter expurganda venit; præsertim si nausea, oris amaritudo, & alia huius generis, quæ ventriculi, ac vicinarum partium, impuritatem denotant, adfuerit. Id autem dextre præstabunt:

Medicamenta purgantia.

Cassia fistula,
Tamarindorum pulpa,
Syrupus violatus solutiuus,
Syrupus rosarum solutiuus,
Elect. lenitiuum,
Infusum rhabarbari ex aqua endiuiæ, & syrupo de cichorio simplici, aut de cichorio cum rhabarbaro.
Manna item ex decocto tamarindorum, flor. violarum, & endiuiæ soluta; quæ in robustioribus elect. de psyllio,

lio, aut elect. de succo rosarum drach j. vel circiter, aut Gr j. aut altero diagridij, ex<u>ecui</u> queunt.

An vena secanda in hac febri.

Missionem sanguinis pleriq; in dubiũ vocant, eò quòd vires cum hoc morbo minimè constare posse videantur. Nam febris ista biliosis solùm corporibus, macilentis, cælo, anni tempore, ac regione, æstuosis accidit. Quibus sanè subscribimus, ea tamen animaduersione adhibita, quòd etsi in nostra patria exquisitissimæ illæ tertianæ, ob rationem victus, & alias, quæ desiderantur, conditiones, rarissimus sit affectus; si tamen fortefortuna contingat aliquem hac febre, licèt impuriore quadamtenus, prehendi, huic phlebotomiam non iniuriâ profuturam arbitramur, ratione saltem caussæ antecedentis, ne scilicet sanguis tenuiori parte sui per ardorem febrilem bilescat; præsertim cùm venæ sectio (quemadmodùm liquet ex valesio lib 7 Contr. cap. 2) multiplex sit remedium, & quotidiana testetur experientia, sanguinis missionem, tempestiuè factam, plurimùm prodesse, ac morbum sæpè radicitus extirpare. Vbi ventriculus igitur, & primæ viæ, à medicamento sunt depuratæ, aut si quidẽ illuuiei in hisce partibus nulla extant indicia, sub nostro

Si exquisita sit tertiana sanguis mittendus.

Venæ sectio multiplex remedium.

Quo tẽpore morbi, & quæ vena aperienda.

quidem

quidem cœlo statim per initia febris, tamen extra paroxysmum, vel cùm ægri vires robustiores sunt, horis minimùm 4. aut 5. priusquam accessio fiat, vena iecoraria dextra, aut communis, aperietur.

Quibus autem istud, impediente vel ætate, vel viribus, facere non permittitur, his vicaria esse potest scarificatio.

Scarificatio.

His ita peractis, si paroxysmus insequens priore breuior, & quod ad symptomata attinet, leuior sit, vrinæ quoque corrigantur, totum negotium soli naturæ committi queat. Tametsi non abs re, pro naturæ adminiculo, remedia quædam vsurpabimus, quæ cum refrigeratione extenuent, & obstructiones eximant; qualia censentur:

Radices cichorij,
Plantaginis,
Acetosæ,
Endiuiæ,
Agrimoniæ,
Graminis,
Semina Maiora, & minora; cum
Syrupo capillorum Veneris, de cichorio
simplici, acetoso simplici, &c.

Exhibentur autem apozemata eiusmodi die intebricitationis ieiuno, quatuor nimirū horis ante prandium. Possunt etiam toti-dem,

Tempus exhibendi apozematum.

matum. dem, vel pluribus, ante paroxysmum horis hæc eadem offerri.

Non mitescente à phleb: paroxysmo quid faciendum.

Quòd si paroxysmus à phlebotomia nil mitescit, neq; natura vacuationem aliquam bilis adoritur, aut, si quam adoritur, non perficit, dummodò vrina coctionis notas (vt in hac febre assolet fieri) præferat; pharmacum, quale initio præscripsimus, vel paulò fortius, præscribendū erit; interpositis nihilominus apozematis iam nominatis, in nostræ præsertim regionis hominibus, cùm sub hoc cœlo tertianæ puritatem illam non seruent, idq; ter, & ampliùs, vtiliter iterato, ne in præsens vtcunq; suppressa potiùs accessione (quemadmodùm vulgi mos fert) quàm euulsa febre, reliquiæ morbificæ grauioribus malis fundamenta iaciant.

Quoties pharmacum iterandum.

Definente febre superstite manente aliquo accidente quid faciendum.

Sed & definente prorsus febre, superstite tamen aliquo eius accidente, vt siti, dolore capitis, inappetentia, omnino necessaria est purgatio eiusmodi, ad præcauendam scilicet recidiuam, 2. Aph. 12.

Calore in summo existente,

Cùm ardor summus, & intensissimus est, velut in tertiana exquisita esse solet, tum alterationi, seu refrigerationi, maior quàm euacuationi, danda est opera. Vnde pleraque in capite de causo annotata, remedia etiam

tiam hic habebunt locum; soletq́;, post coctionem, haustus frigidæ, modo illic explicato, concedi. Quò respiciens Gal. j. de arte curat. ad Glauc. cap. 9. in curatione huius febris, nullius purgantis pharmaci meminit, sed tantùm *absinthij dilutum ex aqua mulsa* docuit exhibendum, monens interim, & sudores, & vrinas ciendas. Verùm sudores rectiùs declinante accessione, vrinæ autem intermissionis die, feliciùs prouocantur. Ad ciendas porrò vrinas facere queunt descripta superiùs apozemata, quæ huic proposito meliùs seruiunt, si adiiciantur *radices petroselini, & fœniculi*; quas præstat horis aliquot in aceto præmaceratas vsurpare. Galenus his substituit apium, & anethum. vnde ad Trallianum lib. 12. cap 6. ceu nimis calefacientia adhibens carpitur. Pro Galeno tamen non ineptè respondebitur, hæc quamuis per se calida, cùm humorem biliosum eliciunt, & obstructiones reserant, ex accidenti refrigerare. Deinde tum primùm ea dari, cùm cognoscitur, naturam in has partes materiam destinasse; quocirca nequeunt diu in corpore morari, & per consequens, minùs calefacere queunt.

Absinthium porrò alijs medicamentis anteponitur, quoniam præter id quòd bi-

alterandum & refrigerãdum potiùs quã purgandum.

Sudores quando prouocãdi & vrinæ.

Medicamenta vrinas ciẽtia quæ.

Gal. à reprehensione vindicatur.

Quando medicãmenta vrinas cientia danda.

Absinthium aliis

lem expurgat, stomachum etiam, qui in præsentia plurimùm à bile lædi consueuit, roborat, in quo plus est vtilitatis, quàm in illo qualiquali calore incommodi.

medica. mẽtis bilem purgantibus & vrinã mouentibus ante ponitur.

Symptomata hic ferè sunt eadẽ, quę in causo: de dolore capitis tãtùm, de quo quia nihil ibi, hic pauca adijciemus.

Symptomata.

Dolor capitis sanguinis missione conquiescit.

Is vbi pulsatorius est, à *missione sanguinis* cõquiescit. Sin è vẽtriculi aspiratione natus, *vomitu*, aut deorsum *purgante cholagogo*, sedatur. Si è toto corpore vapores in cerebrũ ferãtur, ij sunt à capite auertẽdi *frictionibus plãtarũ ex sale, & aceto, clysteribus seu cucurbitulis* item, quę scapulis, atque claviculis, imponuntur; *lotionibus extremorum ex*

Extrema lauanda.

Aqua decocti lactucæ,
violariæ,
Florum nymphææ,
Foliorum vitis,
Salicis,
Capitum papaueris albi Cui decocto, actu calenti immergendæ sunt tibiæ, & brachia, vsq; ad cubitum.

Caput roborãdum.

Caput insuper roborandum, vt euaporationes illas à sese arceat quæ, declinante nonnihil dolore, moderatè discutiendæ, atque resoluendæ sunt. Roborat caput *oxyr. ex quinq; partibus olei rosati, & vna aceti cõcinnatum.* Vel

Caput roborantia.

℞. Aqua

℞. *Aqu. rosarum,*
Plantag.
Solani an. vnc. iij.
Olei rosati,
aut aqua ros. abluti vnc. j. ſ. Omphacini recentis, Aceti rosacei tantund.
Pulueris santal. rubr. drach. j. ſ. misc.

Vapores autem capiti impactos blandè dissipant, & consumunt, *lumbrici terræ triti, atq; cum oleo ros. subacti.* Adhæc, *aqu. ros. aut solari, & meliloti, addito sale, crocoq;*, é quibus madẽtes panni suturę coronali, ac fronti, imponantur. Item *emulsio nucleorum Persicorum, cum aqu. rosar. & betonicæ facta, momentoq; thuris leuigati adiecto.* Vel *oleum chamæmelinum cum rosaceo illitum.* Huc etiam spectant: *syrup. de papauere vnc. j. ſ. cum aquæ lactucæ vnc. iij.* duabus à cæna horis dormituro propinatus, atq; *epithemata cardiaca*, simul & *hepatica refrigerantia*, iam antè descripta.

Vaporib9 dissipandis quæ conueniant.

Quid capiti applicandum, & cui parti

Aegro dormituro quid propinandum.

Nam quatenus viscerum istorum ardorem temperant, eatenus quoq; acrium fuliginum prouentum, adeòq; in cerebrum ascensum, prohibent; & sic quasi per indirectum hîc quoq; sunt vsui.

Aër debet esse similis illi, qualẽ in febre ardente descripsimus, hoc est, *frigidus humidus.*

Victus ratio. Aër

qualis cõducat. Fercula quæ conferant.

Pro *ferculis* inferre licet *ptisanæ cremorem, seu hordeum ad molliciem coctum, coloq; transmissum.*

Olera quæ præstant.

Olera item, *lactucam, portulacam, endiuiam, acetosam, spinachiam, maluam, atriplicem, cichoreacea in vniuersum omnia*; quæ rectiùs cũ carnibus elixantur, vt iuri dein vires suas imprimant.

Oua.

Oua adhæc *tremula, aceto condita.*

Carnes quales cõueniant.

De *carnibus* conueniunt *teneriores, minimè pingues*; & in *auium* quidẽ genere molliores, vt *pulli gallinacei, in dumetis degentes, passerculi, perdices, phasiani,* &c. ex ijs verò, quæ minimè tales sunt, alæ.

Gal. qualia edulia probat.

Galenus concedit *cerebella porcellorũ, & pedes molliter elixos*, non quidem indiscriminatim omnibus, sed ijs tantummodò, qui præ nimia ventriculi caliditate, cibos coctu faciliores, aliàs essent corrupturi.

Piscibus quib. vescendum.

Ex *piscibus* prædicantur *saxatiles, perca, lucius, truta, mulus, barbatus,* &c. pro quibus substituere poterimus *minutulos illos*, quos Germani *fundulos* vocitant. Et verò hæc ipsa decet esse elixa solùm, non tosta, non frixa in butyro, vel oleo, non multo sale, aut aromatis, conspersa, vel melle addito, edulcorata, cùm acria omnia, salsa, & dulcia, hic meritò suspecta sint.

Alimonia quomodò præparata & condita.

Ex *arboreis fructibus* præ cæteris conceduntur, *vuæ bene maturæ, magis tamen pensiles, ficus,* item, *pruna*, & *poma cocta*. Verùm ista reliquis edulijs præmitti par est.

Fructus qui in vsum veniunt.

Die paroxysmi carnibus, & ouis, interdicitur; quamuis nunquam ventriculus multo cibo infarciendus, ac onerandus, sit; etiam die quietis, vt habet Hipp. 2. Aph. 10. & 7. Aphor. 62.

Die paroxysmi carnes & oua exulent.

Pro *potu*, ante perfectam morbi declinationem, vinum & generosum, & valde etiam aquosum, nocere solet; proinde vel ex *decocto hordei cum passulis*, vbi maior est ardor; vel *radicibus cichorei*; aut cum *passulis*, & *hordeo*, *cinnamomi tantillo* bulliente, paratur poculum.

Potus qualis & quis esse debet.

Aluum expedit esse liberam, aut die, quo febris adest, *leni clysmate* elui; quod omni die infebricitationis vtiliter iteratur, cùm æger medicamenta per os sumere renuit.

Aluus qualis debet esse.

Vigilijs pertinacioribus iam suprà fecimus medellam.

Vigiliæ.

Animi affectus grauiores, iram præsertim, mœrorem, nimiamq; sollicitudinem, studiosè deuitare expedit. Hactenus de tertiana intermittente legitima.

Animi affectus qui deuitandi.

CAPVT XII.

De tertiana intermittente notha, seu, spuria.

Notha tertiana quib. humoribus conflatur.

TErtiana notha, seu spuria, intermittens, est febris, è miscella alterius alicuius humoris cum bile, prodiens. Humor is, qui bilem adulterat, est vel pituita; & nascitur maioris famæ spuria, eò quòd frequentiùs accidat; vel melancholia, & minoris famæ, seu rarior ab Arabibus nominata, resultat. Nobis de priori agere suffecit cum Gal j. de art. curat. ad Glauc. cap. 10. quoniam posterioris tum natura, tum curatio, partim è præcedenti capite, partim eò, quòd quartanæ inscribetur, facilis est cognitu.

Febres maioris & minoris famæ quæ.

Causa.

Causæ huius febris generatrices.

CAusæ huius febris procreatrices non iniuriâ ab omnibus reputantur vtriusq; humoris feracis, bilis nempe, ac pituitæ: vt sunt V. G. corporis temperamentum, ætas, anni tempus, regio, status cœli, calida sicca; vita interim ociosa, frigido & humido, vel aliàs immodico, cibo, potuq;, vtens, vnde cruditates, & pituitæ abundantia.

Quæ spur-

Cæterùm pituitæ aliquando plùs, aliquando

quando minùs, sub ampla quadam latitudine, cum bile putrescit: vnde fit, vt harum tertianarum spuriarum quædam propiùs ad exquisitæ naturam accedant, quædam longiùs, quædam verò quàm longissimè recedant.

ria ad exquisitæ naturam propiùs accedat.

Longissimè recedentem, in qua pituitosus humor copiosissimus bili conmiscetur, Gal. j. de art. curat ad Glauc. cap. 8. describit, tanquam exquisitæ valde contrariam; quoniam cognitis extremis, intermediæ haud difficulter innotescunt.

Quæ longissimè, & exquisitæ tanquam contraria.

Signa.

Signa tertianæ spuriæ, non aliter ac materia, ipsam efficiens, confusa quoq; sunt; & partim bilem, partim pituitam, denotant. Hinc rigor multò est, quàm in exquisita, leuior; verùm protractior, quandoq; horror tantùm inuadit; calor ad tactum remissior, isq; non ita æqualiter per totum corpus expansus.

Signa tertianæ spuriæ qualia

Pulsus minor, tardior, rarior, & in interuallo etiam febrile quiddam retinēs, aut saltem non tam purus ac in exquisita.

Pulsus qualis.

Vrina citrina, sed crassior.

Vrina qualis.

Accesio à 14. horis ad 30. & 40. se extendens,

Accessio

quanta. tendens, quæ neq; cum vomitu, deiectione, largisúe sudoribus, sed madore cutis potiùs, vel pauco interdum sudore, finiatur.

Circuitus tertianus. Circuitum quidem & ipsa tertiarum retinet; quandoq; tamen, ad tertianæ duplicis ritum, quotidie inuadit.

Causæ antegressæ. Ad signa referri merentur causæ antegressæ, à quibus bilis, & phlegma, aceruari potuerit, diæta nempe, & alia; de quibus superiùs.

Item, si tales febres vagantur populariter. Circa hæc porrò signa in vniuersum animaduertere decet, ea aliquando exquisitæ tertianæ magis esse affinia; aliquando crudi succi plus repræsentare.

Nota in hac febri circa signa.

Prognosticon.

Prognosis. HÆc febris, quantùm exse, periculo vacat; vbi autem in curando aberratum fuerit, facilè in cachexiam, aut hydropem, degenerare potest.

Quàm longa cõsueuit esse. Longa item consueuit esse; & quò plus pituitæ, crassioris præsertim, subest, tantò euadit longior, ita, vt quandoq; ad 12. 14. 20. 40. paroxysmos ascendat, quandoq; ad dimidium annum duret, velut ea, quæ Ga-

leno

leno loco citato describitur. Autumno cœpisse, atq; in Vere primùm desijsse.

Longitudinem portendunt, præter vrinæ stabilem cruditatem, sudor frigidus in fine accessionis prodiens, 4. Aph. 37. Pulsus durus permanens; idemq; paroxysmi tenor perpetim obseruatus: Contra, breuitatem pollicetur, si non longè à principio morbi minores, mitioresq;, fiant paroxysmi; lotium verò sedimen aliquod ostendat; & pulsus ex duro in mollem permutetur.

Longitudinem quæ portendant.

Breuitatem verò quæ polliceantur.

Curatio.

QVò plus phlegmatis bili admistum est, eò ad quotidianam febrim magis vergens, ab exquisitæ tertianæ therapeia longiùs abest; è diuerso ad hanc propiùs accedit, quo pituitæ portio minor est. Nos iuxta Gal. doctrinam curare illam docebimus, in qua pituita abundat: Vbi quoniam intestina, venæq; meseraicæ, copia eius humoris laborare solent, initium sumendum fuerit à leni nocentis succi euacuatione: quod assequemur clystere, pharmaco, vel vtroq;

Curatio in quo cõsistit.

Cura vnde auspicãda iuxta Gal. doctrinã.

Clyster acrior sit oportet, quàm in tertiana, vt qui componitur ex

Clyster qualis esse debeat.

Decocto maluæ,
Absinthij,
Betæ,
Parietariæ,
Mercurialis,
Chamæmeli,
Furfurum in linteo ligatorum, cum
Melle rosato,
Oleo chamæmelino,
Violato, vel
communi, addita *portione aliqua*
hieræ, & salis.

Clysmatis toto morbi decursu per interualla triduana vtendum.

His toto morbi decursu per interualla triduana vtiliter vtemur, si alu9 pigrior, & nauseabundus ad medicamẽta fuerit ægrotus.

Simplicior & domesticus clyster vt parand9.

Simplicior isto, atq; domestic9 paratur ex
Decocto betæ,
Chamæmeli, in
Iure carnis ; aut
Aquâ cum *oleo*, & *sale*. Aut:
℞. *Decocti herb. emoll.*
Centaurei min.
Parietariæ lib. j
Sacchari rub vnc iij.
Olei Chamæmelini,
Anethini,
Lilior. alb. an. vnc j.
Salis modicum. Misce & fiat clysma.

Phar-

Pharmacum esse queat (ægro clysma auersante; præsertim, si prima corporis regio fuerit impurior)

Pharmacum quale ægro propinandum.

Manna,
Cassia cum specieb. hieræ, aut
Electuarium de hiera, vel *diaphænico*.
Syrupus rosʃ solut. cum infuʃ. agarici.
Syrup. diaireos,
Laxatiuus Fernelianus, *&c.*
Dilutum rhabarbari, &
Fol ʃenæ;
Pil. de rhabarbaro,
de Hiera,
Puluis radicum mechoacanæ, cum
Specieb. aut *electuario diaturbith*, cum
Rhabarbaro, & *iuʃculo* quoq;.

Verùm hæc inter initia parciùs exhibentur; quoniam, vt monuimus, febris ista, repetitis, leuioribus tamen, medicamentis, tollitur; quibus paulatim semper aliquid adijciendum est. Leuiorem verò purgationem, ante perfectam morbi coctionem, instituere haud licet, coctionem autem vrina monstrabit, ac tum demum cum natura vel nullam, vel imperfectam, aliquam excretionem attentabit.

Pharmacis circa initium parciùs vtendũ.

Purgatio ante perfectam concoctionem improbatur.

Vbi ventriculus, & intestina, repurgata quadamtenus fuerint, non repugnante vel

Corpore purgato.

vena secanda. te vel ætate, vel virtute, vena secabitur.

Deinde, quia crassus humor citra præparationem intractabilis subest, is concoquetur, & expulsioni ritè accommodabitur, incidentibus, &, absq; vehementi calore, attenuantibus, primò leuioribus, vt sunt:

Præparantib. ante purgationem. vtendum quib.

Syrupus acetosus,
Oxymel simplex,
Syr. de duab radicibus,
Mel rosatum cum aqua, aut decocto endiuiæ, fœniculi, capillorum Veneris, agrimoniæ vel:

℞. *Radic. aperientium in aceto prius per 24. horas infusarum, & resiccatarum in vmbra vnc. vj.*

Cichorei,
Acetosæ,
Origani,
Betonicæ,
Endiuiæ, an. M j.
Absinthij Pontici, M. ſ.
Sem. frigid. maior. drach. vj.
Sem. anisi,
Fœniculi, ana drach. j.
Liquiritiæ rasæ vnc. ſ.
Flor. violar.
Rosarum,
Boraginis,

Geni-

Centfte,

Anthos, *ana* p. j. Fiat decoctio in s. q. aquæ colaturæ cum albumine oui clarificato.

℞. *Oximellis simpl. lib*. j. *s*.

Syrupi de duab. radic. an. vnc. ij.

Misce, & f. V. doses.

Cùm per aliquot continuos dies ista fuêre exhibita, medicamentum purgans, vnum de superioribus, aut huiusmodi, propinabitur:

℞. *Rhabarbari electi drach*. ij.

Spicæ scrup. *s*. *infusorum in aq*. *cichorij q*. *s*.

Agarici in oxym. cum pauco zinzibere infusi drach. j Expressioni adde

Elect. diaphœnici drach. iij. *s*.

Mellis ros. solut. vnc ij. M. f. potio.

Materia porrò febris istius ob lentorem suum, neq; simul concoqui, nec vacuari potest, proinde repetenda sunt vtriusq; generis pharmaca.

Pharmaca vtriusque generis repetenda.

Præparationis gratia superioribus adiungemus syrupos valentiores; qualis *Bizantinus*, & de *quinq; radicibus*, apellat9. Gal. loco citato cap. 8. propinat *mulsam*, cui incoxerint *origanum*, *hyssopus*, *spica*; sicut etiam vtimur *cremore ptisanæ piperato*. Verùm id facit non

Præparationis gratia adiungendi syrupi valentiores.

est non in omni tertiana spuria. quemadmodùm rursus insimulatur ad Trallianum, sed in ea solùm, quæ quàm longissimè à tertianæ exquisitæ conditionibus abest.

Vomitus maximæ est efficaciæ.

Vomitus in hoc morbo tantæ est efficaciæ, vt huius solius beneficio, plurimos à febre protinus vindicatos nouerit Galenus. Potest verò cieri in initio, vel infestante nausea in fine paroxysmi; aut, quod securius, & vtilius est, ab assumpto cibo.

Vomitoria.

Vomitorium erit *mulsa*, in qua coctus fuerit *raphanus, semen eius*, aut *hyssopus*.

Elucentibus coctionis signis vrinæ & sudores euocandi.

Interea elucentibus manifestæ coctionis indicijs, vrinis, & sudoribus, euocandis, obiter opera dabitur, ea ferè ratione, quàm in præcedenti capite dedimus.

Diureticis non malè adijciūtur *cicera, radices apij, petroselini, rubiæ tinctorum, asparagi.*

Quid Gal. post 7. propinat.

Galenus post septimum, seu, quod idem est, post signa coctionis, quæ hic ante id temporis ferè nulla solent conspici, *dilutum absinthij* valde probat.

Non remittente morbo æger fouendus.

Cum etiam nisi morbus vltro remittat, hypochondria confouere expediet per *spongiam*, vel *lintea insuccata decocto rad. aperientium, chamæmeli, absinthij, sem. lini,* & *fænugræci*.

Et post

Et post fomentum inungere regionem hepatis *luu ex oleo amygdal. amararum, succo*, aut *liquore stillatitio endiuiæ, ac pauxillo aceti* abluto, cum *dupla quantitate olei nardini*, & ceræ modico.

Post fomentum inungenda regio hepatis.

Eodem pacto ventriculi quoq; curam gerere oportet, potestq; is fotu quopiam conueniente præmisso (de quo suo loco) liniri oleo absinthiaco, de mentha, mastichino, &c.

Medicamenta intrò sumenda huius classis sunt recensiti syrupi; quòd si dulcia respuat æger, ei rectè præbueris *dilutum fumariæ*, aut *radicum cichorei decoctum in sero lactis* paratum, ventriculi gratia nonnihil *cinnamomi*, aut *piperis*, adijciendum.

Medicamenta interna quæ.

His ita peractis, ventriculi, & hepatis, dyscrasia commodùm emendabitur, & robur visceribus istis conciliabitur, *bolo è conserua rof. & betonicæ*, vel *conserua absinthij Pontici, & fol. pimpinellæ Italicæ*, composito, quotidie accipiendo pro dosi vnc. i. circiter. Boli vices subeunt:

Vētriculi & hepatis dyscrasia corrigēda.

Tabella vna, aut altera, diarrhodon Abbat.

Diatrion santalon,

Aromatic. rosat., Gabrielis. Vel alternatim, vel mixtim, aut conserua rof. excipiendo: vt,

℞.

℞. *Conseruæ ros. drach. ij.*

Aromatici rosati scrup. j.

Diarrhodo Abbatis. drach. ʃ. Cum *syrupo de corticibus citri, f.* mixtura.

His substituuntur:

Trochisci de rosis,

de eupatorio,

de absinthio, an. scrup. j. In formam pilularum redacti, saporis gratia, superbibẽdo *haustum aquæ cichorei*, vel *decocti hordei*, aut *fœniculi.*

Quæ tertianæ circuitus prohibeant.

A peculiari, & occulta proprietate, tertianæ circuitus prohibere creduntur ista; vt quod celebrat Myrepsus; & habet:

Succi plantaginis vnc. ij.

Aceti vini albi vnc. j. Detur calidum duabus ante paroxysmum horis. Item huius tertia prolatione plurimos tandem conualuisse vidit Alexand Benedictus:

℞ *Succi polygonati,*

Rad plantag. an. vnc. j. ʃ.

Cuscutæ,

Sem. sinapi albi, an. drach. j. Feruefacto, & colato, succo, adde sacchari q. s. est ad edulcorandum.

Quò pertinet *puluis radicum gentianæ*, aut qui efficacior est, *succus earundem*; vel *puluis cardui benedicti* ante accessionem assũptus. Aut:

℞.

℞. *Cent. minoris,*
Scolopendrij, an. M. j.
Passularum,
Liquiritiæ, an vnc. ſ. Fiat decoctio in ſ. q. aquæ, quantum oua ad duritiem bulli- re ſolent. Colatura dulceſcat ſufficienti ſaccharo. Capiat aliquoties die febricitati- onis, hora vna, & altera, priuſquàm exacer- batio ingruat, vnc. iij. circiter.

Ad hæc aqua ſtillatitia, quam Beche- rus tertianam notat, & quartanam, haud dubiè extirpare, prodijt:

℞. *Gentianæ,*
Cardui benedicti,
Penthaphylli, ana M. ij. Incidantur, & in ſero lactis caprini macerentur per no- ctem: deinde in B. M. deſtillentur. Da huius in aurora vnc. iij. vel iiij. Inſtante paroxyſmo itidem.

Alij hoc, ex Auicenna deprompto, v- tuntur:

℞. *vng. populei vnc.* j.
Telæ araneorum, à puluere mundatæ, drach. ij. Miſ. Fiant globuli, vel pa- ſtilli, ſeu trochiſci, temporibus, & carpis manuum, alligandi.

Vulgò *caput lacertæ, linteolo inuolutum,* vel *araneū, teſtæ nucis incluſum,* è collo ſuſpendit.

 Victus

Victus ratio qualis.

Victus ratio, attendentes causæ antecedenti, minùs refrigerans hîc competit, quàm in tertiana exquisita, sed ad aliquam caliditatem declinare debet plùs minùs, pro paucitate, aut copia, phlegmatis, quod bili iungitur.

Aër cubiculi qualis esse debet.

Hinc *aër cubiculi minùs æstate refrigeretur, alijs temporibus ad temperiem declinet.*

Cibis quibus vescẽdum. Quanta dosi edulia offerenda.

Ciborum genera, quibus licitè vescuntur, in præcedenti capite recensita fuêre: ijs tamen condimenti loco *piper, semina fœniculi, petroselinum*, hisq; affinia, rectè miscebimus. *Maiori etiam quantitate edulia offeremus*, ob morbi longitudinẽ. Et quamuis Gal. alternis tantùm diebus cibum præbeat, nostræ tamen regionis corpora, ob aërem, & consuetudinem, hîc non tolerant.

Potus qui antiquitus, & qui hodie vsurpatur.

Potus antiquitus erat aqua mulsa: nos hodie damus *decoctum cinnamomi solùm*, vel *cum radicibus cichorij*: vel *decoctũ hordej cum pipere*, vel *cinnamomo*, vel *fœniculo*, vel *aniso*, concinnatum.

Die quietis deambulatio conducit.

Conducunt etiam die quietis *deambulationes, & corporis frictiones*

Somni mediocritas; *Aluus liberior*; *Animi quies*, & *alacritas*, hic valde sunt necessaria.

CAPVT XIII.

De febribus pituitosis; ac primùm de quotidiana continua.

DE pituitosarum febrium classe meritò primum locum occupat quotidiana continua, velut ea, cuius fomes, pituita videlicet, in maioribus vasis computrescit.

Hunc febrem pituita in maioribus vasis putrescens generat.

Et licèt variæ sint pituitosi humoris differentiæ; nam alius dulcis, alius acidus, alius salsus, audit: itemq; horum alius alio crassior, tenuior, viscosior, &c. deprehendatur: nos tamen, vti longũ, ita quoq; superuacaneũ arbitramur, hæc singillatim persequi, ac proinde, exempli loco, eam febrem curare docebimus, quam dulce phlegma putrescens excitat; quandoquidem vt febris à pituita salsa tractanda sit, ex capite de causo spurio propemodùm liquere potest. in reliquis autem pituitæ differentiis, quæ sæpius quoq; intermittentes, quàm continuas, pariunt, id vnum ferè obseruare decet, vt frigidiori calidiora, magis extenuantia, &c. viscosiori, quæ efficaciùs tum incidant, tum abstergant, remedia opponãtur.

Quot differentiæ pituitæ.

Phlegma dulce putrescens hanc febrem excitat.

Acida & salsa pituita intermittentes sæpius quàm continuas.

Pituita igitur dulcis, si quando in maioribus vasis putret, febrim profert Auicen-

as pariunt.

Febris hæc Auicennæ latica dicitur.

Curatio huius & hecticæ discrepat.

næ (j. quarti tract. 2. cap. 46.) eiusq; sectatoribus, laticam appellatam, quia occulta sit, & intus delitescat; quæq; Medicos minùs peritos, ac circumspectos, sub hecticæ larua sæpenumerò decipiat, atq; in periculosum errorem præcipites agat, cùm hecticæ curatio ab huius curatione toto (quod aiunt) cœlo distet.

Causa.

Causæ internæ.

CAusæ internæ humoris pituitosi feraciores sunt, temperamentum, vel totius, vel hepatis, aut cordis frigidius, atq; humidius, seu natiuum sit, seu vitio, aut simili ratione victus, tale efficiatur.

Causæ externæ.

Externæ, crapula, ocium, balneum à cibo, Hyems, vel aliàs humidus cœli status.

Signa.

Signa huius febris.

SIgna quotidianæ huius sunt: inuasio sinè horrore, rigore frigore; & quòd nunquam adplenam, puramúe, intermissionẽ, aut apyrexiam, peruenit; tametsi à meridiè, & circa vesperam, nonnihil mitescit, sub occasu tamen Solis, atq; noctem, rursus exasperatur.

Calor huius febris

Calorem tactui exhibet mitem, blandũ, velutiq; halituosum, qui tamen, vbi paulò diutiùs

diutiùs contrectaueris, acrimoniæ aliquid præseferat, sed multò minùs quàm hectica.

Vrina initio est lucida, vel saltem decolor; &, nisi quid humoris simul excernitur, tenuis, quæ tamē, progrediente morbo (si ad meliora, non deteriora, mutatio fiat) rufedinem contrahit.

imitis. Vrina qualis.

Pulsus est mollis, latus, inæqualis.

Pulsus.

Aegri à calefacientibus, quam refrigerantibus, meliùs habent.

His accedunt ea, quæ pituitæ abundantiam in corpore arguunt, veluti, vomitus, & deiectiones humidæ, crudæ, aquosæ, pituitosæ. Præcordia item, vltra naturalem habitum, humida, & distenta.

Excreta. Præcordia. Color.

Pallor albidus.

Intemperies corporis frigida, & humida.

Intemperies.

Aetas puerilis, vel senilis.

Aetas.

Febres eiusmodi vulgariter grassantes; ac cætera, quæ ad causas externas retulimus.

Internoscitur porrò hæc febris ab hectica, quoniam in hectica, (quemadmodùm suo loco fusiùs dicemus) calor est acer, hicq́; semper à cibo excrescit: lotium sani hominis vrinæ proximum: pulsus durus, & angustus: rarò per se inuadit, sed ferè alias febres excipit, aut ijsdem copula-

Quomodo internoscatur hæc febris ab hectica.

tur: præcesserunt causæ calefacientes, & exsiccantes: tandem etiam leuantur à refrigerantibus, atque humectantibus.

Prognosis.

CVm Galenus quotidianam intermittentem periculo haud vacare asseuerauerit 1. de arte curat. ad Glauc. cap. 7. id multò potiùs de continua fuerit sentiendum Soluitur plurimùm diarrhæa, & sudoribus Subinde tamen etiam in cachexiam, & hydropem, migrare consueuit.

Soluitur a diarrhæa.

In quos morbos aliquando migrat.

Curatio.

SCopi curationis sibi inuicem aduersantur. Nam febris morbus frigida humida; causa febris pituita calida, & sicca, postulat. Præpollet nihilominus quàm causam huc suggerit indicatio, suadetque, vt moderatè calefacientibus, magis quàm frigorificis, vtamur, cùm morbus aliter, vrgente scilicet, ac perseuerante, quæ ipsum fouet, causa, curari nequeat. Hunc igitur cùm amoliri sit animus; calidiusculis, (vt diximus) incidentibus, atque tergentibus, rem aggredi oportebit.

Scopi curationis.

Calefacientibus magis quàm frigorificis vtendum.

Curatio, nisi virtus repugnet, & ætas, à venæ

Curatio.

à venæ sectione sumet initium, lenitā tamen prius aluo, & abstersis intestinis, atq; ventriculo, quæ partes, sub febre ista, multo phlegmate redundare solent.

Proinde parabitur clyster ex

Clyster ex quib. herbis parandus.

Decocto herbarum emollientium; vel
Aqua mulsa, cum melle rosato, saccharo rub. elect. lenitiuo; vel
Cassia pro clysteribus, sale, oleo chamæmelino, & liliorum alborum.

Per os qualia propinanda.

Per os glutietur *bolus ex cassia*, & *hiera*; aut concinnabitur *haustus cum melle*, aut *syrupo ros. solutiuo, manna, &c. decocto sem. anisi*, vel *fœniculi*, solutis.

℞. *Aquæ mulsæ lib. j.*
Mellis rosati,
Sacchari, ana vnc. j. ß.
Cassiæ pro clysteribus drach. vj.
Olei chamæmelini,
Liliorum alb. an vnc. j.
Salis drach. j. Mis. F. clyster.

Vomitus.

Vomitus, cùm nausea vrget, neq; ad superiores purgationes ineptus est æger, cieri queat

Mulsa,
Oxym simplici, vel
Syrupo acetoso simplici,
Diluto hordei,

De-

Decoctionibus seminũ raphani,
Atriplicis.

Prima corporis regione sordibus carente vena rescindatur.

Quòd si prima corporis regio nihil istarum sordium (sicut in nostra præsertim regione rarissimè accidit) contineat; adeoq; depuratione eiusmodi haud indigeat; itatim prætermissis alijs omnibus, vena rescindi debet: inde ad præparandam, & concoquendam morbi materiam accingemur, ab ijs, quæ leuiùs, tum incidunt, tum aperiunt, tenuant, atq; abstergunt, incipientes, qualia sunt:

Oxymel simplex,
Mel rosatum simplex,
Syrupus de betonica,
de corticib. citri, cum aqua, vel *iure betonicæ, rad. fœniculi, capill. Veneris, &c.*

Vbi febris vehementior, fortioribus vtendum.

Vbi febris est vehementior, & putredo maior, *Oxysaccharam, syrupum de endiuia, aquas refrigerantes, cichorij, endiuiæ, graminis, &c. opportunè adijciemus.*

In progressu morbi quæ exhibenda.

In progressu morbi proderit exhibere
Oxymel compositum,
Syrupum de duabus
de quinq; radicibus; quorum vicem expleuerit mulsa, in qua coxerit betonica, vel quid simile, ad parandæ pituitæ idoneum: aut apozemata, cuiusmodi in præsenti casu componuntur ex *Radici-*

Radicibus fœniculi,
Cichorei,
Graminis,
Chordeo integro,
Betonica,
Vuis passis,
Seminibus fœniculi,
Seminibus frig. maioribus; Sic vt colatur ius, & cum oui albumine decolatum, saccharo iniecto, vel dictorum syruporum quopiam, edulcoretur.

Elucentibus deinceps coctionis manifestioribus indicijs, à lotio petitis, plenior purgatio instituetur; nisi natura spontino, ac critico, alui fluxu, sudore, aut abscessu, erumpente, conatum Medici salubriter præuenerit. Nam quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, mouere non oportet, ex doctrina Hipp. j. Aph. 20. At verò cùm natura vel segniùs, vel prorsus non expellit, stimulo habet opus, & adiumento Medici, per Aph. 21. citatæ sectionis. Quocirca purgabimus

Elucentibus manifestioribus signis pleniori purgatione opus est.

Elect. *Diacatholico, cũ diaphœnico, aut indo*; vel *horũ alterutro cũ infuso agarici in oxymelle.*

Quibus purgantibus purgandum.

Item *infuso agarici, rhabarbari, fol. senæ, seminum carthami, cum cinnamomo, squinantho, mace; in aqua betonicæ, fumariæ, &c. addito*

syrupo ros solutiuo, & *elect. dictorum quopiam.*

Virtute imbecilla existente quid faciendum.

Cùm virtus est imbecillior, quàm vt semel, atq; confertim, factam euacuationem perferat, *apozema de materia mitiorum catarcticorum parabitur*, & diebus aliquot vel cõtinuis, vel interpollatis, propinabitur.

Inclinante morbo sudores & vrinæ ciendæ.

Posthæc, inclinante iam morbo, & probè expurgato corpore, vrinis, atq; sudoribus, euocandis danda erit opera. Diuretica hæc sunt:

Diuretica.

Decoctum rad. asari,
rad. aperientium,
Cicerum rubeorum,
Baccarum alkekengi,
Emulsio 4. seminum frigid. maior.
ex aqua petroselini, adiecto syr. de betonica.

Sudorifica.

Sudorifica censentur: *decoctum Guaiacinum* dilutius, aut *rad. apij*, ex *aqu. mulsa facti*. Totius porrò morbi decursu, magna ratio ventriculi, aliorumq; naturalium viscerũ, habẽda, quoniam alioquin sub hoc febris tempore plurimùm patiuntur. is igitur instaurandis proderit

Totius morbi decursu quid faciendum. Instaurantia partes naturales.

Conserua ros. &
Flor. betonicæ,
Corticum citri, cum
Specieb. diarrhodon Abbatis,

Diatri-

Diatrion santalon,
Aromatici ros. Gabrielis.

Foris inungetur venter

Foris in-iungēdꝰ venter.

Oleo mastichino,
Absinthite,
Cydoniato, cum *tantillo olei stillatitij, macis, & nucis moschatæ.*

Diæta eiusdem generis hic competit, quæ in intermittente, de qua mox, nisi quòd tenuior esse debeat, minùsq; calefaciens.

Diæta qualis esse debet.

Illud inprimis sedulò efficiendum est, vt nisi aluus vltro quotidie deponatur, præsertim si illa excrementa putrida natura pellere cœperit, *clysteribus communibus*, & *domesticis*, appellatis, subducatur.

Aluus ni vltro deponatur subducenda

CAPVT XIV.

De febre quotidiana intermittente.

QVotidiana intermittens materia non discrepat à continua; nam etiam hic pituita dulcis (de qua sola in præsenti quoque capite sermo habebitur) putredine cōtaminata: sed solo putredinis loco, quoniam in ista vel extra vasa, vel extra maiora saltem, pituitosus humor exardescit, quem admo-

Intermittens loco non materia à cōtinua discrepat

admodùm suprà in tertiana periodica asseuerauimus.

Causa.

Causæ internæ & externæ quæ.

CAusas tam internas, quàm externas easdem prorsus, quas continua, agnoscit; omnia videlicet, quæ phlegmatis copiam in corpore producunt, quorum iam antè meminimus.

Signa.

Signa humorem huius febris prodentia.
Color.
Pulsus
Excreta.
Vrina.
Somnus.
Insomnia
Mens, & sensus
Iuuantia & lædentia.

SIgna quædam humorem hunc in corpore dominantem, quædam febrim ipsam produnt. Priora desumuntur ex colore vultus, & corporis, albido, interdum plumbeo, vel liuido; habitu pingui, & obeso; pulsu molli; excretis per os, nares, aluum, humidioribus, ac pluribus; vrinâ nunc tenui, nunc crassa; somno profundo, & graui; insomniis aquæ, pluuiarum, niuium, grandinis, balnei; motu corporis segni, languido; mentis stupore; sensuum hebetudine; à iuuantibus item calidis siccis, phlegmagogis, vel pituitæ spontina euacuatione; lędentibus verò contrariis.

Signa hanc febrem indicantia.

Posterioris generis, quæ febrẽ nempe ceu charactere obsignant, sunt hæc: Inuasio sinè horrore, aut rigore, sed cum frigore

extre-

extremarum partium, nasi, manuum, pedumq́. Hinc sequitur calor neq; magnus, neq; statim acris primum ad tactum, sed interiecta demum mora aliquid acrimoniæ præseferens, & summè inæqualis, quasi per cribrum, aut colum (ait Gal. j de arte curat. ad Glauc. cap. 7.) transmissus, hoc est, alicubi pleniùs, alicubi intercisè, minùsq; plenè, tactum feriens. Idem tardè, atq; inæqualiter per corporis ambitum sese expandit: quoniam videtur subinde emicare, subinde rursus opprimi, haud aliter ac ignis sub virentium lignorum cumulo velut eluctans; quod non solùm sub inuasionis initium, sed reliquo etiam paroxysmi tempore, accidit, nam humor pituitosus difficilè accenditur.

Calor.

Nunquam præterea febrilis æstus eo usq; hic excrescit, vt sitim inferat, aut ægrũ stragula cogat abijcere.

Adhęc, tanta in somnum ad est propensio, vt veterno subinde prehendantur.

In somnum propensio.

Vrina in principio morbi vniuersali tenuis, alba, aquosa, funditur: ni scilicet aliquid nocentis succi simul effluat; alioquin crassa, & turbida, apparet. In progressu declinat ad rubedinem, cùm crudus pituitæ succus vlteriore elaboratione in sanguinem permutatur.

Vrina in principio tenuis, alba, aquosa est.

 Pul-

Pulsus. Pulsus est paruus, debilis, inæqualis, initio accessionis, in augmento maior, vehementior, celerior: simpliciter tamen, si aliarum intermittentium febrium pulsibus conferatur, minimus.

Paroxysmus quãtus. Paroxysmus ad 18. horas communiter extenditur, atq; interuallum multò quàm aliæ intermittentes, habet impurius, minusq; integrum; adeò vt vix vnquam eos febris perfectè relinquere videatur: desinit verò absq; sudore; præsertim inter initia morbi.

Reuersio eius. Quotidie reuertitur, idq; sub vesperã.

Sed quoniam & duplex tertiana, & quartana triplex, pari ratione quotidie inuadunt, ad alia istarum febrium signa partim tradita, partim inposterum tradenda, ni velimus decipi, confugere oportet. In quotidiana siquidem omnia signa, & symptomata, pituitæ, veluti in duplici tertiana bili, in triplici quartana melancholiæ, attestantur.

Quemodo per paroxysmos hæc febris à duplici tertiana Paroxysmi insuper quotidianæ omnes inter se sunt similes, secundùm caloris motum, quantitatem, qualitatem, & reliqua symptomata: nisi quòd, more aliarum febrium intermittentium, aliquando (vt plerunq; apud nos) perpetuò anticipent, aliquan-

quando tardent; & quòd materia morbi ad coctionem tendente, quemadmodùm in cæteris quoq; salubribus morbis vsuuenire assolet, de magnitudine, & vehementia, remittant.

& quartana triplici differat.

At in duplici tertiana (de quartana triplici idem omnino sentiendùm est) euidens paroxysmorũ dissimilitudo deprehẽditur: ita nempe, vt paroxysmus tertius, quintus, septimus, & reliqui, diebus imparibus inuadentes, calore, alijsq; symptomatis, siti scilicet, vomitu, amaritudine oris, dolore capitis, &c. primo paroxysmo respondeant, quartus autem, sextus, alijq; paribus repetentes, secundum planè repræsentent.

Duplicis tertianæ, & quartanæ triplicis paroxysmi inæquales & dissimiles.

Præterea, quemadmodùm in quotidiana excretiones pituitosæ, sic in duplici tertiana biliosæ, in quartana triplici melancholicæ, deprehenduntur.

Excretiones

Certiori etiam coniectura quotidiana noscitur, si tum temporis eius generis febres populariter grassari soleant.

Item, si, quamprimùm hominem febris aggreditur, præcordia fuerint distenta, inflata, & tumida.

Præcordiorum signa.

Si antè, & in ipso etiam morbo, facies albet, subliuida, aut subturgida est.

Stoma-

Stomachus diu imbecillis; cibi fastidium; & frequens ructus, præcesserit.

Prognosis.

FEbris hæc, Gal. affirmante, cap. 8. j. de arte curat. ad Glauc. non caret periculo, cachexiæ videlicet, aut hydropis, propter obstructiones hepatis, & lienis, aut scirrhos eorundem.

Diuturna est, & quò sincerior, eò diuturnior; nec facilè remedijs vincitur, ac sinè ventriculi insigni noxa vix accidit.

Pituitæ vomitus spem salutis facit. Bene sperandum, si, inchoante paroxysmo, pituitæ vomitus vltro sequatur, & declinante copiosũ fundat æger sudorem.

Si tempus interualli habet ex toto à febre liberum.

Febris hæc rarissima. Quotidiana verò febris intermittens, omnium intermittentium est rarissima.

Curatio.

Scopi curationis. SCopi curationis ijdem prosus sunt cum ijs, quos in præcedenti capite quotidianæ continuæ præfiniuim9, incidere videlicet, abstergere, attenuare, & nocentem materiam quaquauersum expurgare, ni si quòd

hic

hic validioribus, calidioribusúe pharmacis agere licet.

Phlebotomia hic rarissimè habet locum, nisi venæ fuerint crassiores, & sanguine turgeant. Reliqua medendi ratio cum illa, quam continuæ quotidianæ assignauimus, ferè coincidit.

Ac proinde initium faciemus aluum subducendo enemate ex

Enema ex quib9 plantis parandum.

Decocto betæ,
Maluæ,
Mercurialis,
Chamomillæ, cum melle rosato, oleo, & sale, &c. vel *ex iure galli veteris, parato.* Postridie portiũculam præbebimus *dißoluto electuario diacatholico ex aq. mulsa cum melle rosato solutiuo, & tantillo diaphœnici*: aut bolum comparabimus *è caßia, & hiera simplici*; vel *pilulis cochijs in tenui iure solutis.*

Potio qualis et quando danda Bolus. Pilulæ.

Inedia magno in præsentia emolumento est, ac vices euacuationum subit, per Aphor, 60. & 63. sect. 7. & 2. Aphor. 10.

Inedia in hac febre vices euacuationis subit.

Vbi nauseabundus, & in vomitum pronus, est æger, prætermissis alui purgationibus, per superiora pituitam educere conabimur, eo pacto, quo in præcedenti capite faciendum esse monstrauimus.

Vbi æger nauseabund9 est per superiora pituita vacuanda.

Deinde alternatim coctioni phlegmatis cru-

pituita cruda concoquenda.

tis crudi, & euacuationi, opera dabitur; ita videlicet, vt interiectis aliquot diebus, facile quiddam, & blandum, catarcticum exhibeamus, Trallianum sequuti lib. 12. cap. 7. qui in hoc humore mauult semper partita vacuatione vti, quoniam pituita etiam cocta crassitudinem non amittit, & ob id forti medicamento sollicitata, laboriosè educitur.

Oportet autem in præsenti etiam casu paulatim à leuioribus ad generosiora tum coquentia, tum vacuantia, gradum facere.

E classe concoquentium, præter enumerata, collocantur:

Aqua mulsa, aut *saccharata*, *cinnamomo condita*; vel

Ius pulli, decoctionis cicerum, radicumúe petroselini, hyssopi; vel

Ius apij, & cicerum, addito, aut *statim pòst assumpto, præmissoue, saccharo drach.* j *pondere circiter*; vel

Aqua mulsa, *in qua concoquetur pulegium, betonica, thymus, hyssopus*; vel

Semen anisi, fœniculi, saccharo incrustatum; aut

Confectio diarrhodon Abbatis.

Aromatici ros.

Efficacissima sunt:

Oxymel compos. necnon &
Syrup. de quinq; rad.
Oxym. scilliticum.

Concoquentia efficaciora.

Cui porrò syrupi acetum recipiunt, pauxilla mastiche, atq; glycyrrhiza, castigari debent, ne ventriculum, hic alioquin noxæ expositum, aliasq; partes neruosas, crebriore vsu offendant.

Purgantia conueniunt:

Polypodium,
Carthamus,
Aloë,
Turbith,
Agaricus,
Oxym. cum agarico; cuius solius vsurpatione diuturnæ febres percurantur.
Elect. Diaphœnicon,
Elect. Indum,
Pilulæ de agarico,
De hiera cum agarico,
Cochiæ,
Aggregatiuæ,
Aureæ;

Puluis ex agarico, & zingibere; vel illo, & cinnamomo, æquis partibus: cuius tertio, aut quinto quoq; die vicino iã statu drach j.

ex melle rof. propinari queat.

Puluis purgans. Eodem pertinet *puluis ex turbith, cinnamomo*; vel *masttiche*, & *zingibere*, ac *cinnamomo* vnà cum *turbith* confectus.

Matthiolus quid laudat. Matthiolus laudat *dilutum rhabarbari, agarici*, & *fol. senæ*.

Id verò cumprimis curandũ, vt pharmacis semper aliquid ventriculo familiare adijciatur.

℞. *Mellis cocti lib. j.*

Aceti lib. ʃ.

Aquæ font. vnc. iiij.

Agarici elect. vnc. iij. coquantur ad iustam consistentiam, expresso, & abiecto, agarico, iterum infunde prædicto liquori agarici leuissimi in linteo raro ligati vnc. j. Dosis cochlearia ij circiter.

Corpore ritè purgato quid faciendum. Corpore eiusmodi medicamentis iam satis expurgato, rectè præbebimus hora vna ante febris inuasionem *theriacæ veteris*, aut *Mithridatij drach. j. ex vino albo solutam.* Alii *cochlear j. sinapi* cũ *drach. j.* & *ij. mellis* simplicis rof. quotidie in aurora exhibent.

Secretũ quorundã semen nasturtii. Quibusdam inter arcana reponitur in hac, alijsq; febribus diuturnis, atq; etiam quartanis, singulis diebus ieiuno ventriculo vti *seminibus nasturtij*.

Experimenta Quò spectant experimenta vulgaria:

vt,

vt, *puluis cardui benedicti*, & *gentianæ*.

vulgaria.

In vigore vomitorium.

Postquàm morbus ad suum vigorem, seu statum, perductus est, conuenit *vomitorium* ex *raphano*, *ellebori albi radicibus* transfixo. Alioquin leuior vomitus, velut ex

Decocto anethi,

Chamæmeli,

Atriplicis,

Sem. raphani,

Syrupo acetoso, & alijs huius farinæ, etiam ante statum, & quocunque morbi tempore vomiturit æger, cieri potest, ac plurimùm conducit.

Asumpto cibo vomitus.

Post cibum assumptum, vel ex solo *raphano* irritatus vtilis est, Aëtio auctore Tetrabibli 2. serm. j cap. 86.

Quibus pharmacis ventriculo & hepati prospiciendum.

Interea ventriculo quoque, & hepati, prospiciendum est. Illi quidem:

Syrupo de mentha,

de absinthio,

Confect. diatrion piperecon,

Diagalanga,

Arom. ros. Gabr.

Ventriculo fomenta admouenda.

Extrinsecus

Fomento è mentha,

Absinthio,

Mastiche,

Cinnamomo,

Galanga,
Caryophyllis coctis in *vino*
& *aqua.*
Oleo absinthiaco,
Mastichino,
Nardino; vel
Solo nucis moschatæ stillatitio,
aut *per expreßionem facto.* Decet verò hęc ante cibum adhibere, neq; solùm ventriculi regioni, sed etiam octauæ thoracis vertebræ, imponere.

Hepati verò robur conciliabimus:
Trochiscis de rhabarbaro,
De eupatorio,
De absinthio,
Tabulis Diacurcumæ,
Dialaccæ &c.

Sub idem quoq; tempus, quo visceribus prouidemus, elucentibus nempe concoctionis indicijs, diuretica, & hydrotica, requiruntur valentiora, cuius generis censentur:
Syr. de quinq; rad.
Decoctum pulegij,
Origani,
Apij;
Ius cinnamomi,
Anethi,

Rubiæ

Rubiæ tinctorum,
Glycyrrhizæ,
Liquor elixati asparagi,
Fœniculi,
Betonicæ,
Stæchados, &c.

Aër esto calidus siccus, purus, nitidus, vel talis arte comparetur, excitato igne è calidis siccis plantis, *lauro* V. G. aut *iunipero*, vbi eius copia, vt in Germaniæ pluribus locis: & *suffumigationibus è styrace, belzoin*, &c ita tamen, vt caput odoris vehementia non grauetur.

Victus ratio. Aër.

Similiter cibus ad calidum siccum deuergat. Hinc conuenit *caro vitulina* non muscola, & *hædina*, quæ tamen *saluia, roremarino, petroselino, thymo*, condiantur; *lepusculi, auiculæ montanæ, vitelli ouorum molles, ptisana piperata*; & in prima mēsa sumpta *embamma* *ta è piperitide*, aut *radicibus petroselini tritis cum aceto, paucis amygdalis, modica crusta panis*, & *pipere, cappares ex aceto saccharato*, vel *ex aceto, & passulis, radices petroselini coctæ*, & in modum acetarij conditæ.

Cibus.

Embammata è quibus renbus paranda.

Primis diebus demendum est aliquid de cibi quantitate, ne cruditas ventriculi augeatur, & pituita in venis facilius concoquatur: deinde plenius alendus est æger,

Primis diebus è cibo demendum aliquid.

vt sus-

vt sufficiat postmodùm rursus ad statum vsq; (quo tempore semper tenuissimus debet esse victus) sensim cibus detrahendus est.

Tempus edendi.

Tempus edendi opportunum statuitur intermissio febris, quod quatuor minimùm horis paroxysmum præcedit, vel si tantùm spatij non conceditur, in fine saltem status.

Potus.

Bibat porrò *decoctum piperis*, aut *cinnamomi*, & *anisi*, adijciendo *aliquid syrupi de duab. rad.* Concocto autem morbo, *vinum tenue*, & *mediocriter potens*, conceditur.

Somnus.

Somnum præstat esse breuem, neq; vlteriùs protrahi, quàm coctioni sit satis.

Exercitium corporis an conueniat.

Exercitatio corporis, si per vires possit, vt *equitatio*, *gestatio in curru*, aut *lectica*, ante cibum, remissa febre, valde ex vsu est; cuius vices supplent *frictiones*.

Aluus sit libera.

Aluus teneatur *libera clysteribus ex aqua mulsa*, & *sale*; vel *decocto betæ*, & *mercurialis*, cum *melle*, & *sale*, paratis.

Affectus animi.

Ex *animi affectionibus gaudium*, & *moderata* etiam *excandescentia*, prosunt.

CAPVT XV.

De febre Epiala,

De quo-

DE quotidianarum genere, (inquit Aëtius Tetrab. 2. serm. 5. cap. 87.) est febris, quæ à leui afflictione Epiala vocatur, cùm videlicèt toto paroxysmo æger simul febricitat, seu calet, simulq́ alget, aut riget, atq; vtrumq; in omni corporis parte persentiscit.

Causa.

CAusam habet (auctore Gal. 2. de diff. febr. cap. 6.) pituitam vitream modicè, sed quibusdam duntaxat sui partibus putrescentem. Nam si maiore sui parte illa putreat, quotidianam quidem febrem, non autem epialam, profert. Quod enim ex ea putret, calorem febrilem, quod à putredine immune perseuerat, frigus (quia pituitæ hæc species omnium aliarum frigidissima est) vel rigorem (si maiore impetu per partes corporis sentientes moueatur) excitare solet. Vnde si pituita hæc ampliùs putrescit, præcedit quidem rigor, aut frigus, febris sequitur: verùm hæc ipsa à caloris febrilis copia debellata, paroxysmo ad incrementum, & statum, procedente, sic obscurantur, vt non ampliùs appareat, quod tamen ab essentia epialæ est alienum.

Causæ epialæ pituita vitrea.

Putrescēs pituita calorem febrilem, imputris rigorem excitat.

Causæ externæ coincidunt cum ijs; quæ

Causæ externæ.

quę quotidianam gignunt; nisi quòd quantò vitreum phlegma dulci est frigidius, tantò has illis oporteat esse validiores.

Signa, & Prognosis.

Signa item tam diagnostica, quàm prognostica, cum quotidiana, iam descripta, habet communia, sed adhuc rariùs occurrit.

Curatio.

Curatio. CÆterùm neq; curatio multùm euariat, præterquàm quòd calidiora, magisq; tū attenuantia, tum incidentia, ac detergentia, præsidia, ptopter extremam humoris febrifici frigiditatem, crassitiem, atq; lentorem, hìc vsurpare expediat. Atq; huc tamen sensim, à leuioribus facto initio, deueniendum est.

Ita etiam ventriculi robur non minùs diligenter seruare oportet.

CAPVT XVI.

De febre Lipyria.

Lipyriæ vocabulo complectimur eam febrem, sub qua toto vel morbi, vel paroxysmi, decursu, interiora vehementer æstuant; externæ interim partes algent.

Lipyriæ febris quid.

Hanc pleriq; auctores post epialã tractare solent, quòd (vt Auic. placet 4. quarti tract. 2. cap. 50.) vtraq; communem sortiatur materiam, humorem nempe vitreũ.

Materia eius est pituita vitrea.

Aëtius Tetrab. citata, cap. 89 ex ignis sacri affectionibus, seu erysipelate, circa ventriculum lipyriam accendi asserit.

Sententia Aëtii de hac febre.

Illud sanè pro comperto haberi debet, in viscerum internorum inflammatorijs affectibus, seu phlegmone sint, siue erysipelata, alijsq; etiam morbis pestiferis, aut à maligna quadam materia pendentibus, frequenter extrema corporis frigere, interna vri, vt est apud Hipp. 4. Aph. 48. neq; tamen, nisi valde impropriè, eiusmodi symptomata lipyriæ nomine insigniri, cùm etiam eorum curatio non hic inter febres, sed particulares morbos, expediri debeat.

Causa.

Causa igitur Lipyriæ genuinæ est bilis flaua in penetralibus corporis, circa hepar scilicet, mesenterium, pancreas, aut aliam par.

Causa lipyriæ genuinæ In quib9

cōtineatur materia lipyriam pariens vasis.

am partem extra vasa, vel in minoribus earundem partium vasis, putrescens, & pituita vitrea imputris circa summam cutim, seu per corporis exteriorem habitum, innatans; vel (vt ait Actuarius 2. Meth. cap. j.) infarcta.

Vnde æstꝰ interiorum, & rigor exteriorum

A bile enim interiorum æstus, à pituita verò externorum perfrigeratio, pendet.

Quamuis autem bilis etiam intra vasa maiora putredinem subinde concipere soleat, non putrente interim pituita, per ambitum corporis sparsa, adeòq; continuam parere nata sit; nihilominùs tamen in præsentia de intermittente solùm agemus; quoniam lipyria continua à reliquarum cholericarum continuarum therapeia discrepantem curam non exigit.

Signa.

Signa huius febris sunt: magnus interiorum æstus, de quo ægri quæruntur, & sitis inexpleta, cum extremorum frigore.

Prognosis.

Lipyria intermittens curatu difficilis est morbus, & inter diuturnas febres numerari videtur ab Auicenna loco citato; quoniam contrarias indicationes exhibet, velut i

veluti consideranti planum euadit. De continua impropriè sic appellata illud Hipp. in Aphor. suprà citatum pronunciatum fuit. Item quod lib. 2. Progn. tex. 4. scribitur. Mali etiam morbi signum est, & pedes, manusq; frigidas habere, ventre & lateribus calentibus.

Curatio.

Scopi curationis.

Scopi curationis eò potissimùm spectare debent, vt & bilis feruor extinguatur, & illa quantocyus à corpore exigatur.

Modum, ac rationem, illud exequendi in biliosarum febrium curatione pronum est reperire.

Deinceps opera est danda, vt pituita, in ambitum corporis diffusa, coquatur, atq; digeratur, adhibitis *frictionibus*, aut *invnctionibus*, ex *oleis*, aut *vnguentis*, *calefacientibus*, *resoluentibus*, *discutientibus*.

CAPVT XVII.

De febre diurna, & nocturna.

Diurna febris ea dicitur, quæ de die incipit, finitur noctu; nocturna contrà, quæ noctu inuadit, & interdiu desinit. De vtraq; loquitur Hipp. j. Epid. sect. 2. tex. 16. & Gal. in Com. ibid.

Causa.

Diurna & nocturna febris quid.

Debetq; & hæc & illa, non secus ac quotidianæ febres, originem suam pituitæ.

Signa.

Iisdem etiam aliàs indicijs, quæ quotidianam produnt, cognoscuntur; quorum nihilominùs seorsim facienda est mentio, ad morbi euentum præuidendum.

Prognosis.

Quod igitur ad prognosim attinet, etsi ambæ, quotidianarum ritu, & longæ sint, & sanatu difficiles, non absq; periculo:

Nocturna ex sent: Hipp: securior diurna.

Nocturnam non admodùm lethalem affirmat Hippocrates; verùm hac tum diuturniorem, tum maiori cum vitæ discrimine iunctam, diurnam, hoc argumentum: Cum febres pituitosæ alioquin sub noctem primùm

primùm,pro motu,& natura peccantis phlegmatis, accessionem moliri soleant, hæc verò interdiu inuadat; indicium sanè erit, naturam aut multitudine, aut prauitate, phlegmatis, acriter stimulari.

Accedit, quòd in febre diurna neq; opportunè cibare, nec pharmaca propinare licet, nec etiam somno locus datur, quando hæc omnia in paroxysmo, vel saltem ante declinationem paroxysmi, non permittuntur; atq; is ad 18 horas, adeòq; bonam noctis partem, producitur.

In febre diurna cibare ægrum, & pharmaca propinare incōmodū.

Desinente accessione, cibo, potuq;, reficiendus est æger, cui pleno dein ventriculo indormire haud expedit, verùm aliquantisper à cibatione vigilare conuenit.

Sumpto cibo indormire non expedit.

Quòd si medicamentum loco cibi dare constituas, etiam illud excludet somnum; ita nox ferè integra insomnis transigenda fuerit, & vix parum aliquid diei, ante febris inuasionem, quieti erit residuum.

Quocirca non immeritò tales à Gal. loco citato, dicuntur vitam vespertilionum viuere.

Et ab Hippocrate in hecticam, aut tabem, migrare pronunciatur, ob longiores nempe vigilias, & cibi parcitatem, sub morbo adeò longo.

Cura.

Curatio.

INtentiones porrò, seu scopi curatiui, ijdē in præsentia occurrunt, qui in quotidiana; de quibus iam satis superq́; dictum est.

CAPVT XIIX.

De febribus melancholicis; & primùm de quartana continua.

Causa.

Causæ internæ.

CAusa huius febris est humor melancholicus, in maioribus vasis putredine contaminatus.

Causæ externæ.

Externæ causæ sunt, omnia illa, quæ de rebus non naturalibus & copiam huius humoris parere, & putredinem conciliare nata sunt; quorum catalogum legere est in Pragmaticorum commentarijs.

Signa.

AEstus perpetuus quidem, sed qui quarto quoq; die magis exardescat, nullo rigore, frigore, aut horrore, præcedentibus. Vrina rubet, turbida, vel obscura est.

Æstus.

Vrina.

Sitis autem linguæ, ac faucium siccitas, & asperitas, vigiliæ, aliaq; id genus accidentia, non paulo minora sunt in præsentia, quàm in alijs continuis febribus esse solent.

Sitis.

Huc pertinent quæ melancholici succi redundantiam monstrant, cuius causæ effectrices præcesserunt.

Prognosis.

MOrbus hic, quemadmodùm rarus, ita periculi plenissimus, esse solet, aliorum more, quos atra bilis peperit, cui proinde nonnisi præmissa protestatione manus admouebitur.

Euenire etiam consueuit; quando calidioribus, & vehementioribus, medicamentis quartana intermittens ab initio perperam tractata fuit.

Curatio.

IN curatione, atræ bilis efferuescentis refrigerationi, humectationi corporis; incisioni crassiorum succorum, & virium in-

ſtaurationi, diligenter attendendum eſt.

Enema Phlebotomia.

Id aſſequemur ſequentibus. Primò lenitâ aluo ex iniecto *enemate*, aut aſſumpta *caßia fiſtula*, *vena* (niſi quid prohibeat) *ſiniſtri brachij iecoraria ſecabitur.*

Poſtea die aliquo, quem minoris afflictionis nominant, blandè quoddam medicamentum præbebitur: vt,

Medicamenta.

Diacatholicon ex ſero lactis; vel *Infuſum ſenæ, rhabarbari, paſſularum, glycyrrhyzæ, & florum cordialiũ, cum modico cinnamomi, & corticum citri*: aut

Paratum ex ſyrupo violaceo multiplicis infuſionis, & mannæ, cum aq. boraginis.

Medicamenta hæc ſunt iteranda.

Huiuſmodi medicamenta, velut etiã enemata, ſubinde ſunt iteranda. Cùm enim morbificus humor craſſus ſit, & contumax, ex interuallis repetitã purgationem, quàm ſemel affatim factam, magis exigere videtur; ſi quidem concoctionis notæ in vrinis appareant: nam alioquin irritabulis eiuſmodi ſuperſedere præſtat.

Inter vnam & alteram purgationem quid interponendum.

Inter vnam, & alteram porrò purgationem, præparationis cauſa, commodùm interponemus *ſyrupos cichoreatos*, de *boragine*, *bugloſſo*, *violaceũ*, de *corticibus*, de *acetoſitate, citri*, &c.

Ex neotericis quidam defœcatum è pomis redolentibus *succum*, quem *pomaceum* nominant, ad eiusmodi affectus atrabilarios magnis celebrant encomijs.

Neoterici quid interponant.

Virium imbecillitati fulciendæ faciunt, *vinum, aqua aurata* (seu in qua candefactum aurum sæpius restinxeris) *optimè dilutum; destillatum* item *caponum*, & iuscula.

Virium imbecillitatem restaurãtia.

Præterea *conserua rosarum, violarum, boraginis*, &c. *recens*, cum *spec. diamargar. frigidi*, atq; *pauxillo confectionis alkermes*.

Conseruæ.

Huc pertinent *odoramenta* ex *rosis, violis, styrace, moscho*, &c. & epithemata cardiaca; de quibus in febre ardente.

Odoramenta.

Vigilia, sitis, dolor capitis, vt emendanda sint, similiter ex citato capite discere licebit.

Symptomata vt sedanda.

Victus ratio in vniuersum ad frigidum humidum declinare debet; de cuius materia iam aliàs abundè.

Victus ratio.

CAPVT XIX.

De febre quartana intermittente.

Causa.

Intermittentis quartanæ materia.

MAteria, seu fomes, quartanæ intermittentis, non discrepat ab eo, qui continuam excitat, est autem humor melancholicus alicubi in minoribus vasis, vel extra eadem, putredinem contrahens.

Duplex est hæc febris.

Legitima

Hæc febris duplex est, vna legitima, altera spuria. Legitima fit à melancholia naturaliter putredine coinquinata. Ea cùm veluti fæx, & limus quidam, sit sanguinis, in lienem, naturæ instituto, per mesenterij ductus, reponitur; vnde in his præsertim partibus febris quartanæ legitimæ focus cernitur.

Spuria.

Spuriam efficit adusta bilis flaua, nigra, vel sanguis, vel, (vt Auicennæ visum est, j. quarti tract. 2. cap. 61.) etiam pituita. Tametsi enim hæc in verum humorem melancholicũ haudquaquam transire potest, potest tamen adeò crassescere, & resiccari, vt primis qualitatibus, & consistentia, melancholiam quadamtenus æmuletur, cùm Galenus 13. Meth cap 4 crassum humorem plùs minùs melancholicum esse affirmauerit. Maximè cum quotidiana testetur experientia, in his subiectis Septentrioni terris, alimento multo, & crudiori, assuefactis, alphos, scirrhos, elephantiasim, quos melancholiæ sobolem agnouêre veteres, etiam à

Quæ à melancholia & pituita prouenire vitia.

am à pituita prouenire. Nos de legitima quartana agere constituimus, aliquid etiam de illo spuriarum genere dicturi, quod adusta bilis genuit, cùm curationem, legitimæ debitam, huic applicare non liceat, nisi eam vehementer velis exasperare, vel etiã prorsus immedicabilem efficere.

De legitima nobis agendum.

De causis legitimæ tam internis, quàm externis, nihil in præsentia, quoniam illas, quamuis minùs vehementes, communes habet cum continua.

Causæ legitimæ quartanæ.

Signa.

INuadit primo die cum exiguo rigore, vel horrore potiùs, qui tamen rigor, morbo in statum vniuersalem procedente, adeò excrescit, & augetur, vt præ frigore, cuiusmodi sub hybernum gelu etiam sanos inuadere assolet, non solùm carnes, sed ossa quoq; ipsa confringi, ac comminui, sibi ægri persuadeant, quem sensum oltocopon Græci nuncupant.

Horror.

Calor dein neq; ita multus, aut vehemens, neq; tam citò, vt in tertiana, rigorem sequitur.

Calor.

Pulsus in principio paroxysmi intrò retractus, & veluti ligatus, deprehenditur,

Pulsus.

non absimilis decrepiti senis pulsibus, quãuis æger sit iuuenis: In augmento verò, & statu, velocitatem quandam, & frequentiam, acquirit, comparatione tamen ad tertianarios pulsus instituta, tardus, rarusq; est, atq; id multò magis per tempus interualli, seu quietis. Quinimò rarior hic, & tardior fit pulsus, quàm in vlla alia febre, quàm pro natura etiam ægrotantis.

Vrina.

Vrinæ pro varietate humoris, quartanam committentis, euariant. In legitima (vt inquit Gal. 2. de cris. cap. 4.) sub initium tenues, albæ, & aquosæ, sunt; in progressu rubicundiores, & crassiores, euadũt; nonnũquàm obscuræ, ac nigræ, quæ, morbo declinante, salutares habentur.

Accessio quàm producta

Accessio in 24. horas producitur, & 48. horis intermittit. ita vt quartanarius circuitꝰ duos habeat dies à febre immunes.

Paroxysmus sudore mediocri terminatur.

Paroxysmus cum sudore mediocri terminatur, non tamen id semper in principio vniuersali totius morbi accidit, nisi magna subsit plethora, & corpus alioquin ex facili sudet.

Suspicionẽ quartanæ quæ augeant.

Suspicionem quartanę auget, si ea pręcessêre, quæ melancholici succi prouentũ in corpore faciunt: vt, victus melancholicus, & temperamentum non dissimile, vel

solida

solida eiusdem humoris, aut etiam sanguinis, euacuatio, vt mensium, hemorrhoidum, &c, suppressa.

Morbi præcedentes febres erraticæ, obstructiones, & humores lienis, qui frequẽter huius febris, siue prodromi, siue asseclæ, fieri solent. Morbi præcedentes.

Adhæc, si quartanæ populariter vagantur.

Signa porrò alterius illius, quam flaua bilis per adustionem parit, ista cẽsentur: Signa Spuriæ.

Aggreditur hominem cum horrore, aut rigore, non multùm perseuerantibus, hæc calor multò flagrantior, & acrior, excipit, quàm in legitima. Horror. Calor.

Pulsum habet celerem; vrinas biliosas; paroxysmum breuiorem; biliosum vomitũ; sitis, atq; vigiliæ, permolesta sunt; maior corporis iactatio, & inquietudo, adest; quin & interuallum ipsum multò impurius est, adeò, vt etiam postridie febriles reliquias corpus habere videatur, secus ac in legitima, sub qua spatio inter vnam, & alteram accesionem, medio, tum sitis abesse, tum appetitus vrgere, solet. Pulsus, Vrinæ, &c.

Præcesŝere item febres, aliiq; morbi biliosi, & causæ potenter calefacientes, atq; exsiccantes, quæ scilicet non solùm copiosam gignere bilem, sed eandem etiam adurere, queunt. Causæ præcedentes.

Pro-

Prognosis.

HIpp. j. Epid. sect. 3. tex. 4. ait quartanam omnium febrium esse securissimam, facillimam, longissimam. Eandem quoque à magnis aliis morbis vindicare. Quod ita accipiendũ docet Galenus, eam, si sola sit, nullum nec grauiorem visceris affectum sequatur, periculo vacare; non autẽ, vbi symptomatis rationem subit, & scirrhũ, vel insolubiles lienis obstructiones, excipit; quoniam, (vt idem testatur,) sæpenumerò videmus, homines ex liene graui quartana laborasse, ac deinde, collecta aqua inter cutem, esse defunctos.

Hipp locus expositus.

Cui ætati familiaris & cui exitialis esse soleat

Exitialis ferè est senibus, familiarior 30 aut circiter, annum agentibus, 3. Progn. tex. 23. erraticas consequitur.

Autumnalis & frequentior, & productior esse consueuit, 2. Aph. 25 3. Aph. 22.

Diuturnitas huius febris quanta.

Non excedere anni spatium inquit Hipp. j. Epid. citato, & Auic. j quarti trct. 2. cap. 62. nisi quid erratum fuerit.

Aliàs ex historiarum monumẽtis compertum habemus, in plures etiam annos hũc morbum prorogari.

Vulgi opinio falsa.

Quod vulgò persuasum habetur, *nemìnem bis quartana prehendi*, experientia falsum esse demonstrat.

Quia

Quin & illud in confeſso eſt, corpora poſt hanc febrem plerunq; habiliora fieri, &, ſi per ætatē licet, incrementum ſumere.

Viget potiſsimùm ab anno ætatis 25. vſq; ad 45. Quòd ſi extra hoc tempus quartana inuaſerit, certò tibi perſuadeas, hanc febrem, niſi quid aliud hominem malè habeat, minimè diuturnam fore, ita Hipp. lib. de natura humana ſub finem.

Viget ab anno ætatis 25. vſq; ad 45.

Curatio.

INdiget morbus iſte tum calefacientib9, tum aperientibus, incidentibus, abſtergētibus, euacuantibus, hac interim animaduerſione adhibita, vt quocunq; medicamenti genere vtaris, clementioribus ab initio vtaris; ne naturæ vim inferas, febrē exaſperes, ex ſimplici duplicem, triplicem, aut pro intermittente continuam, parias.

Quocirca pridie paroxyſmi vēter blādè mollietur

Pridie paroxyſmi venter molliendus.

Caßia cum epithymo; aut
Elect. lenitiuo; vel
Diacatholico, ex aqua boraginis, bugloſſæ, cuſcutæ, &c. ſolutis.

Vbi mauult æger *clyſterem*, is comparabitur ex *decocto herbarum emollientium, borag. bugloßæ*, *fol. ſenæ*, addendo *oleum violaceum*,

Clyſter ex quib9 herbis comparandus.

ceum, florem caßiæ, mel violatum, saccharum rubrum, salem, oui vitellum.

In copioso sanguine vena secanda.

Si *Sanguis* copiosus esse videatur, vno ante accessionem die, non tantùm in principio, sed augmento etiam, morbi, vena ampliori foramine secanda erit, eaq; Basilica sinistri brachij.

Et si sanguis crassior, nigriorq;, prodeat, copiosè sinendus est fluere; si verò flauus, ac tenuis, statim supprimi debet.

Prodest etiam liberalior sanguinis missio ijs, qui sanguine nigro, & crasso, scatent.

Hæmorrhoidum apertio prodest.

Hæmorrhoidum apertio, adhibitis sanguisugis, vel, quod alijs magis placet, scalpello facta, adeò vtilis est, vt vel sola morbū quandoq; soluerit. Conuenientior quoq; erit ijs, quibus mariscæ, priùs fluere solitæ, iam subsistêre.

Huc pertinet sectio venæ manus sinistræ, quæ medium, & annularem, digitos interiacet, &, in ipso interlunij puncto (nisi tēpus id in paroxysmum incidat,) facta; nam sæpe præsentem opem attulit.

Satiùs verò erit, ante hanc venæ sectionem, corpus vtcunq; a melancholico recremento repurgatum esse; quod nihilominùs facto est opus, tametsi phlebotomia prætermittatur.

Vacuationem porrò leuiora præparantia anteibunt, vt sunt:

Syrupus acetosus simpl.
De lupulo,
De fumaria,
De pomis,
De corticibus citri,

Præparantia.

Mel rof. simplex, cum *aq.* vel *iure, melißæ, boraginis, buglosßæ, fumariæ,* &c.

Neq; solùm extra paroxysmum, sed in ipsa accessione, inclinante tamen, hęc propinare licebit.

Purgans conficietur è

Purgantia.

Folijs senæ decoctis, vel *infusis in sero lactis,* vel

Caßia, & *manna* resoluta *decocto communi, in quo præbullierit aliquid senæ, polypodij.*

Decoctum epithymi, Mesues. Item,

Caßia, & *Catholicon* cum *lapidis lazuli præparati scrup.* j. *è iure borag. bugloß. viol. senæ, paßularum, glycyrrhizæ,* &c. indito etiam *melle rosato.*

Leuiora huius farinæ pharmaca in principio, & augmento, morbi, subinde iteranda sunt, ac proinde compluribus, quod sequitur, egregiè proficit:

Leuiora pharmaca in principio & augmento iteranda.

℞. *Senæ orient. absq; stipit. vnc. ij.*
Radicum gentianæ drach. ij. Tundantur,

tur, & conijciantur in vas fictile vitreatum; affusis *vini albi clarißimi, atq; optimi, vnc. xxxx.* Stent per noctem in cineribus calidis. De liquore hoc excolato dantur vnc. iiij circiter, per mensem vnum, & ampliùs, si morbus fuerit pertinax, pridie paroxysmi quo tempore purgantia omnia securiùs exhibentur; etsi non desunt, qui ipso die paroxysmi talia propinare solent, arbitrati, quod res est, contumacem adeò succum, à natura iam agitari incipientem, faciliùs etiam medicamento vacuanti cessurum. Quam curandi rationem, ceu valde efficacem, vti penitus improbare non possumus, ita longè securiorem existimamus priorem, nisi vires robustæ sint admodùm, & pharmacum tot horis ante accesionem offeratur, vt priusquàm hæc ingruat, operationem omnem, vel maiori saltem parte, absoluat.

Quo tempore morbi purgãtia offerenda.

Quoniàm autem tam in hoc, quàm alijs diuturnis morbis, nocentem materiam paulatim tum concoquere, tum coctam educere, est necessarium; inter enumeratas iam purgationes, febre longiùs procedente, efficaciores etiam syrupos interponere decet, cuiusmodi sunt:

In morbis diuturnis quid faciendum.

Syrupus Bizantinus,

De epithymo,

Oxymel compositum, dilutos priùs *aq. melissæ, boraginis, cuscutæ, lupulorum*, &c. vel *decocto ceterach, tamaricis, rad. fœniculi, capparorum, polypodij*, *&c.*

His ita per dies aliquot continenter assumptis, succedet vel *dictorum pharmacorũ aliquod*, vel *Diacatholicon, Diasena Nicol.* cum *lapide lazuli*, aut *confectione Hamech* acutum, & tum quidem offerre queas *Cydonium*, aut *pomum sub cineribus assatum*, quod *fibris ellebori nigri* priùs transfixum fuerat, eximendo tamen post coctionem veratri surculos. Sic enim post sufficientem materiæ præparationem, quartanariis, & alios pertinaces morbos patientibus, hyberno tempore exhibitum, breui admodùm sanitatem restituere ait.

Syrupis quæ succedere debent.

Matthiolus lib. 3. epist. 12. suum quendam elleborismum describit, quẽ in Commentario supra Dioscoridem, tanquam remedium, quod vna, & altera vice, bibitum, quartanas funditus tollat, magnis celebrat laudibus.

Elleborismus Matthioli.

Sunt qui ellebori nigri, in pollinem redacti, drach. j. ſ. vel drach. ij. in sapa vini per noctem macerant; collato, & expresso, adijciunt rhabarbari interioris scrup. j. diagrydij Gr. iij. vel iiij. quæ omnia decocto

Elleborus niger quomodò dandus

passullarum, zingiberis, corticum citri, & cinnammomi, diluta, summo manè potanda præbent.

Verùm huiusmodi magno cum impetu, atq; exquisitiùs, purgantia, solutis obstructionibus circa statum, & declinationem, morbi, primùm admittenda sunt. Tametsi enim eorum therapeia, qui mochlicis eiusmodi initio statim, vel multò ante vigorē, vtuntur, vt stibio, vitro, præcipitato, &c. successu quandoq; haud carent, temeraria tamen est, nec facilè prudenti Medico imitanda.

Temeraria nec imitanda eorum therapeia qui mochlicis initio statim vtuntur.

Eodem tempore emeticon, è raphano ellebori albi radiculis drach. j. pondere confixo, ac per triduũ inibi relictis, parabitur: perinde verò est vel expressũ postea succum, vel ipsummet raphanum, assumere.

Aliqui elleborum in maluatico, vel, vt Gal. solet, in oxymelle, vnius noctis spatio infundunt; eiusq; dilutum propinant, quo medicamento, paucis præsertim diebus intercedentibus, repetito, & hunc, & similes insuperabiles ferè morbos, aboleri tradit Petrus Sarius diuersis lib. de affectionibus particularibus cap. 9.

Quomodò alii & quomodò Gal. ellebor. propinat

Eundem effectum præstat oxymel elleboratum Gesneri.

Cæte-

Cæterùm & Hipp. ipſe 4. Aph. 13. & Aëtius Tetrab. j. ſerm. 3. cap 120. & ſequẽtibus aliquot, multis ante ellebori vſum præparationibus, & cautionibus, opus eſſe tradit, ne lethalis conuulſio, vt habetur 5. Aph. j. ſequatur.

Nicol. Florentinus vomitorium quoddam ſuum è *radice palmæ Chriſti*, pollicis magnitudine, bene piſta, *generoſo quoddam vino* delibuta, paratum, bis terúe, prægreſsis vacuationibus aliis, propinatũ, ſumom pere extollit. Verùm circa valida hæc in vniuerſum ſcire conuenit, iis, qui ad vomitum inepti, nec nauſeabundi ſunt, & vel aliàs debiles, & emaciati, apparent, haudquaquam elleborum, aut palmam Chiſti, exhibenda.

Nicol. Flor. vomitoriũ forte.

Leuiora vomitoria cætera, ex *decocto, ſuccoq;, raphani, aqua mulſa, oxymelle*, &c. confecta, quouis morbi tempore, abeunte paroxyſmo, antè, vel aſſumpto jam cibo, locum habent; niſi fortè, veluti monuimus, ad vomendum omnino ineptus ſit æger; quo caſu Hipp. (4. Aph. 9.) melancholicos pleniùs per inferiora purgare iubet.

Leuiora vomitoria abeunte paroxyſmo quovis morbi tempore locum habent.

Poſtridie purgationis fortioris vtiliter hauriet *theriacæ veteris drach.* ſ aut *drach.* j. *vino generoſo*, aut *aromatico*, diſtemperatæ; quæ cæteris etiam diebus, concocta morbi

Poſtridie purgationis fortioris quid ſumendum

materia, salubriter datur.

Mod9 & tempus theriacæ exhibendæ.

Modum porrò, tempusq́; vtiliter administrandi theriacam, Gal sub finem capitis 15. libelli de theriaca ad Pisonem, pulchrè perstringit his verbis: *Ego namq; multos quartana laborantes, hac ingressus artis semita, facilè à morbo vindicaui. Primùm enim, cùm cœnassent, vt euomerent effeci: deinde secuta die succum absinthij bibendum tradidj, quo bilem contemperarem, ac velut edulcorarem. Postremò, duabus horis ante inuasionem, antidotum exhibui: atq; ita cum omni admiratione voti compos euasi; cùm celeriter is, qui theriacam assumpserat, liber ab inuasione maneret.* Hactenus Gal.

Circa statum morbi vniuersalē quæ expediāt.

Eodem tempore circa statum morbi, videlicet vniuersalem, expediunt & reliqua calidiora:

Diatrion pipereon,
Diaspoliticum,
Aromat. caryophyl. ex *vino forti,*
Aurea Alexandrina,

Puluis, aut *infus. caryoph.* ex *aq. vitæ,* vel is *ipse puluis,* cum *cinnamomo,* & *pipere* è *generoso quopiam vino,* datus.

Et, quod Gal. libello de rigore & palpit. cap. 7. sibi probatissimum nominat, è *succo Cyrenaico, pipere, myrrha,* vel *ex hoc,* & *castorco,* atq; alia huius geueris plura passim

apud

apud Medicos nota: neq; enim hæc febris, nisi corpus eximiè incalescat, vllo pacto curabilis, quod non ignorauit Arist. j. Problem. 58. qui quartanariis tali victu, & medicamentorum genere, multum velut ignẽ in corpore accendendum esse asserunt; quæ tamen parciùs calidis siccis naturis, & æstuoso cæli statu, vsurpari debet.

Neq; illud prætereundum, quod Cordonius monet, statum, seu vigorem, huius febris, in quo calidioribus hisce locus est, non ex vrinis solùm, sed etiam paroxysmorum tum breuitate, tum symptomatum mitigatione, esse metiendum; quoniam homo parcus cibi, beneq; dormiens, vel in quartanæ principio vrinas concoctas meiere potest, non ob materiam morbi, sed ob cibum ritè elaboratum.

Cordonii vomitio.

Præterea euocandis sudoribus, & vrinis, sub statum commodè opera dabitur. Prioris ordinis habentur, præter theriacam, & mithridatium,

Sudores quæ euocant.

Mulsa, in qua præbullierit *calamenthum*, *anethum*, aut *ruta*.

Decoctum item *guaiacinum*, & *myrrhæ el. drach.* j ex *Maluatico calente* hora vna ante paroxysmum, ægro vestibus vndiq; cooperto, propinata: quę potio ter, eo, quo dictum,

 modo,

modo,repetita, liberat à febre, vt Matthiolus refert.

Ad eandem intentionem commendat *radicem angelicæ ex hordei decocto absorptam.*

Vrinas cientia.

In diuretica locantur:

Oxymel, *syr. de quinq; radic. de hyßopo,* &c.

Quò spectant recentiorum *salia è stirpium cinere* parata: vt, *sal polypodij, chamædryos, fraxini, ceterach, tribus, quatuorúe granis,* ex *aqua* conuenienti, *cuscutæ* V.G *borraginis,* &c. data: quæ magnæ sunt energiæ, si hoc tempore, hoc est, circa statum, exhibeantur, non autem priùs, quàm notæ coctionis manifestißimè conspiciantur.

Experimenta quartanā abigentia 12.

Experimenta, quibus quartanarius circuitus certò abigi credatur, sunt varia apud varios. Cordonius *succum calamenthi* dat ante paroxysmum.

1. Item *verbenæ* (*fœminæ* scilicet, ita Matthiolus) expressus *liquor,* & *vini albi odorati, ana vnc. ij.* tertiùm iterata potione, cuius in seipso, & alijs, periculum fecisse gloriatur Arnoldus de Villa noua.

2.

3. Adhæc *drach. j. radicis asari in pollinem tritæ,* imminente iam accessione ex *Maluatico,* impe-ato postmodùm sudore; quod semel, atq; iterum quoq;, faciendum fuerit.

Theriacam

4. *Theriacam veterem* cum *aliquot guttis olei vitrioli* eodem pacto præbent nonnulli.

5. Alij *cortices aurantiorum* ex *absinthiaco* offerunt, cum accesſio iam iam in metu eſt.

6. Sunt, qui arcano hoc antidoto tenaces quartanæ vires ſe infringere gloriantur:

℞. Olei *vitrioli ritè apparati guttas vij.*
Syr. de cichorio ſimpl. vnc. j.
de abſinthio vnc. ij. ſ. Miſc.

7. Alexander Benedictus *pulverem folliculorum ſenæ ex vnc. iij. decocti abſinthij* alternatim per aliquot dies offert; ſimulq; dorſi ſpinam laurino perungit oleo.

8. *Panis ſecalinus furno exemptus* in *aceto* maceratur, & deſtillatur, cuius liquoris, inſtante paroxyſmo, datur *vnc ſ. circiter.*

9. Nec deſunt, qui dieb9 xv. cõtinẽter dãt *ſucci borraginis depurati drach. iij.* è *vino* Cretico.

10. Præterea *gentianæ ſuccus* (modo à Dioſcoride lib. 3. cap 3. tradito paratus) caſtaneæ autẽ glandis magnitudine, ingruente iam paroxyſmo, bis datus, quartanam omnem, etſi grauiſsimam, ſuſtulit; ſed & in alijs quibuſcunq; diuturnioribus febribus magno ſolet eſſe vſui.

11. Quò ſpectat Geſneri, lib. ad parabilia Dioſcoridis, *antidotus, Saxonica* nominata.

12. Nec contemnendus eſt *puluis*, qui ſequitur:

℞ *Rad. gentianæ drach. iij.*
Calami aromatici,
Baccar. lauri, an. scrup. iiij.
Spec. diatrion. pipereon. scrup. iij. ſ.
Sileris montani scrup. ij.
Rad. filicis scrup. V.
Rad asari scrup. ij. ſ. Miſce. Vſus eius eſt præmiſsis conuenientibus purgationibus ex diaſena, vel paris efficaciæ melanagogo drach. j. pōdere ex aq. borrag. V. G. aut vino generoſo, inſtante acceſsione, & ad ſudandum diſponente ſe ægro, datus.

Animi affect9 in hac febre multum præſtant.

Multùm præterea in hoc genere præſtant *affectus animi vehementiores, ingens lætitia, ira,* maximè verò *timor,* vt quandoq; viſi ſint quartanam finiuiſſe. Hinc Rhaſes *ægrum ſtricto gladio inuadere, & edentulos ſerpentes in eum conijcere,* docet.

Ebrietas & ingluuies ſubinde hanc febrim perſanāt

Quinetiam *ebrietas, ac varij cibi, potuſq;,* licèt praui, *magna auiditate, & ingluuie, ingurgitata,* hanc febrim ſubinde perſanârunt. Cauſam vide apud Brudum Luſitanum lib. 3. de vict. febr. cap. 18.

Periapta externa.

Periapta ab auctoribus huc facientia deſcribuntur. Ita apud Dioſc. *vermiculi in echino dipſaci reperti, & araneus alutæ incluſus,* de collo, aut brachio, ſuſpenſus, quartanæ circuitus prohibere dicitur, *aliaq; huius claßis* com-

complura: quæ si quas vires possident, certè ijs, non nisi therapeia legitima præeunte, vtimur vtiliter.

Interim magna semper in hoc morbo viscerum habenda est ratio, cordis præsertim, ac lienis, sine cuius vel dyscrasia, vel pertinaci obstructione, aut humore, quartana nunquam potest esse diuturna.

Cordis & lienis in hac febre magna ratio habenda.

Cordi præclarè fuerit prospectum, intus dando *confectionem diambræ*, *diamoschi dulcis*; foris *epithemate* parato ex *aq. borrag. ros. melissæ, spec. cordialib. croco, zedoaria, aceto, vino aromatico, &c.*

Ventriculum, & hepar, ijs ferè præsidijs tuebimur, quæ in curatione quotidianæ proposuimus.

Lienis obstructiones expedientia.

Lienis obstructiones expediunt *decoctum corticum radicum capparis*, *tamaracis*, *ceterach, absinthij Pontici, chamædryos*, adiecto *oxymelle*, quod vicem *syrupi* præstabit: vel exhibito *puluere ceterach*, & *radicum filicis*, cum *vino*. Exteriùs sinistrum hypochondrium fouebitur per *spongiam imbutam decoctione rad. althææ, capparis, fraxini, sem. lini, fænugræci*, perfusis *aceto*, & *aqua*; ablata spongia, locus oblinetur *amygdalarum amar. oleo*, *de capparibus, de spica*, cum *succo cyclaminis, ammoniaco ex aceto soluto, ceraq; medica*, in formã vnguenti redactis.

Vbi scirrhus aliquis magis rebellis deprehenditur, qui curationi quartanæ remoram faciat, is profligabitur eo modo, quem suo loco diximus.

Symptomatum omnium quartanæ rigor molestissimus. Rigorem mitigantia.

Inter quartanæ symptomata rigor omnium solet esse molestissimus; qui mitigatur, vbi *pannis calentibus* extrema fouentur, vel manus, pedesq; *calenti aquæ* immerguntur, aut æger tempestiuè in *molli lecto*, ante paroxysmi aduentum, *bene contectus* collocatur, *calidiq; lateres vino quopiam aromatico* aspersi, *linteis inuoluti*, *pedum plantis, volis manuum, applicati*, remouendi mox, cùm calor febrilis eruperit.

Vnctio spinæ dorsi.

Commoda item erit vnctio spinę dorsi hora vna, vel duabus, ante paroxysmũ, impositis dein pannis calefactis, tectoq; diligenter ægri corpore.

Litus 4.

1.

℞. *Succi rutæ*,
Vini Maluat. an. vnc. ij.
Olei scorp. vnc. iiij.
Aq. vitæ vnc. j. Coquantur, lege artis, ad succi consumptionem, Fiat linimentum.

Aut quod Vierus deprædicat:

2.

℞. *Saluiæ*,
Rutæ,
Absinthij,

Rori-

Rori∫marini, an. M ∫.
Ma∫tiches,
Olibani, an. drach j. Coquantur in vini Maluat. & olei oliu. an. cyatho vno, donec liquor ab∫umatur. Fiat valida expre∫sio; & vtere. Vel:

℞. Aq *vitæ vnc. ∫.* 3.
Theriacæ el. vnc. j.
Olei laurini vnc. ∫. Mi∫ce. Vel:

℞. *Olei laurini,* 4.
Olei ranarum, an. vnc. iij.
Spirit. vini lib. ∫.
Lumbric. terræ num. ix Bulliant omnia ∫imul ad ∫piritus vini con∫umptionem; coletur.

Trallianus ante paroxy∫mum, corpore tamen priùs bene purgato, multùm tribuit calidis epithematis,

Trallian9 calidioribus vtitur epithematis

Per os exhibetur, ante febris inua∫ionem, vbi refrigeratio tam magna e∫t,

Per os quæ exibeantur.

Piperis drach. j. ex aq. ardente;
Vinum aromaticum calens. Vel
℞ *Aq. vitæ vnc. j.*
Pulu. caryophyl. ∫crup. ∫. Mi∫ce.

Frigida nimis, ∫iccantia, vi∫co∫a, flatulenta, cra∫∫a, pror∫us deuitare oportet.

Victus ratio.

Aër igitur ad calidum, & humidum, declinet.

Aër.

De

Ciborum prohibitorum catalogus.

De *cibis* obest panis secalinus, malè fermentatus, & pistus: caro bubula, taurina, leporina, ceruina, suilla; carnes sale, aut fumo, induratæ; sanguis animalium, indeq; confecta lagana, seu farcimina, aues quæ in paludibus degunt: vt, anseres, anates, &c; pisces grandiores, dura, & glutinosa, carne præditi; caseus vetus; brassica, legumina; de fructibus mespila, sorba, cydonia, & alij fructus adstringentes.

Aquæ potus, veluti lieni peculiariter noxius, prohibetur.

Cibi qui conceduntur.

Horum loco conceduntur, quæ sanguinem tenuem, atq; clarum, gignunt. Ex carnibus hædina, agnina, vitulina, veruecina; pulli, capones, auiculæ nemorales; pisces etiam teneri, nequaquam glutinosi succi: vt, funduli, lucij, percæ; cappares, velut & cætera salsamenta è lepidio, & sinapi, parata, condimenti more, non alimenti copia, edantur.

Acetum obest.

Acetum obest; nisi febris à lienis quopiam affectu foueatur.

Potus.

Potabulum vinum album, tenue, mediocriter calidum: aut eius loco, decoctum piperis, aut cinnamomi; vel huius, & galangæ.

Somnus.

Somnus esto mediocris, velut etiam

exer-

exercitia consueta diebus interualli haud inhibentur, si paroxysmi neq; violenti, neq; prolixi, sint nimiùm

Balneum aq. dulcis subtepidum, purgato iã corpore, ac morbo inclinante, conceditur; cuius vicem alioquin frictiones supplebunt.

Balneum aq. dulcis.

Aluus aperta retineatur, vel cibis huc facientib9; vel enematis; quorum paradigmata ex superioribus repetere licet.

Aluus.

Curæ, sollicitudo, rerum grauiorum seria paulò magis studia, tristitia, mæror, procul hinc exulent.

Animi affectus.

His succedant hilaritas, & animi oblectatio, ex amicorũ confabulationibus, musica, &c. Metus nihilominus, atq; iracundia, tempestiuè, & loco suo, excitata, interdum, vt diximus, commodant. Hactenus de quartana ex melancholia naturali pendente.

Curatio spuriæ.

ILli, quæ ex vstione fœcis sanguineæ, aut flauæ bilis, oritur, tertianæ legitimæ medicationem ritè applicabimus, ita suadente Alex. Tralliano.

Ac proinde maior ibi hepatis, quàm lienis, habebitur ratio; atq; operæpreciũ erit

Hic hepatis maior

quàm lienis habenda ratio.

cholagogis suprà memoratis aliquid adijcere, quod adustos humores vacuare sit natum, vt est:

Confectio Hamech,
Pil. Indæ,
Pil. de fumaria.

Quando in hac febre theriaca danda.

Theriacam porrò non dabimus antequàm morbus planissima coctionis indicia proferat, tumq; eam parciori manû, sacharo rosaceo, vel alio quopiam eius generis cardiaco correctam, dabimus.

CAPVT XX.

De quintanis, sextanis, alijsq;, longioris interualli, febribus.

Andenatur quintanæ, sextanæ &c. dubitant auctores.

DVbitant auctores (inter quos Galenus, Campensius, Valesius) vtrum quintanus, septimanus, nonanus, typus, de quibus Hipp. j. Epid. sect. tex. 2. & 9. peculiare genus febrium constituant, an recidiuæ quædam censeri debeant. Verùm non desunt magni Medici, qui id genus periodos obseruârunt. Auicenna j. quarti tract. 2. cap. 67. & Arculanus quintanam, Thomas à Vei. Com. in 2. de diff. febr. sect. 4. septimanam,

manam, & nonanam; Petr. Salius octauanam, & historiam duplicem huius febris recenset; Gentilis vidit febrem, quæ 15. quoq; die, & quæ semel tantùm in anno, exacerbabatur. Quemadmodùm etiam de Antipatro Sidonio referunt Valerius Max. lib j. cap. vlt. & Plin. lib. 7 cap. 51 eum omnibus annis vno tantùm die natali febricitare solitum, & ea febre consumptum esse satis longa senecta.

Causa.

CAusam istarum febrium pleriq; tribuunt pituitę paucæ, & admodùm crassæ, quæq; naturā melancholiæ æmuletur.

Signa.

COgnoscetur ex ipso circuitu facilimè.

Prognosis, & curatio.

Prognosis & curatio à quartana petenda.

PRognosin autem, & curationē, à quartana mutuabitur, illa potissimùm quæ apud Arabes phlegmatis perhibetur esse soboles. Procedet autem cum illis, quæ corpus vomitu, & deiectione, à superfluis liberant, aliisq; tam medicamentis, quàm

alimentis, quæ vim tenuandi, incidendi, abstergendiq́; possident.

Quò pertinent, *theriaca*, & *aromaticæ confectiones: vt diarrhod. arom. ros. Gabrielis, & c.*

Thom. à Ve. quam causam harum febrium statuat.

Cæterùm Thom. à Vei. loco citato, harum febrium causam non tam succo melancholico, aut alteri cuicunq́; crassitie, & paucitate, illam referenti, adscribendum putat, quàm ipsimet naturæ, quæ per certa interualla, prout lacessitur, vitiosum humorẽ, in corpore latentem, aggreditur, quicunq́; tandem is fuerit: ac præterea censet eiusmodi periodos rarioribus, & his quæ præter communem cursum, ceu monstri similia, eueniunt, computandas.

Quisquis igitur proprijssima harum febrium indicia nosse desiderat, is notas humorum variorum, in corpore excedentium, diligenter consideret; ac deinde pro modo nocentis succi, debita prouideat remedia.

CAPVT XXI.

De febribus compositis.

Febres variis modis componũtur.

ABsolutis ijs, quæ de simplicibus febribꝰ dicenda videbantur, doctrinæ ordo exigit, vt de compositis quoq́; paucula in medium adducamus.

Con-

Constat sanè febres multis modis componi, veluti præclarè Thomas à Vei. Com. in 2. de diff. febr. sect. 5. parag. Putrescente pituita. Vel enim alijs diuersi generis morbis copulantur, inflammationib9 V G. internis, cuiusmodi sunt, quæ pleuritidem, hepatidē, splenitidem, sequuntur; aut quæ viscerū erysipelata excipiunt: vt lipyria, typhodes, chrynodes, ex erysipelate ventriculi, iecoris, pulmonis.

Febres diuersi generis morbis iunguntur.

Vel talibus iunguntur accidentibus, quæ totam Medici industriam ad se trahunt, quales habentur syncopales appellatæ.

Interdum febres sibi inuicem complicantur.

Quandoq; sibi inuicem complicantur, vel eiusdem, vel diuersi, generis, aut speciei, febres: vt, hectica cum putrida; quotidiana cum tertiana; tertiana, & tertiana, ita vt duplicentur, &c. quarum coniugationum differentias singulas scripto complecti, vt infiniti, ita propemodùm superuacanei foret laboris. Nam qui simplicium febrium naturam, causas, & curationem, habet perspectā, is compositas quoq; sanandi methodum se nouisse poterit affirmare. Neq; enim aliter febrium compositarum signa, & indicationes, permiscentur, quàm pro ratione causarum, signorumq; componentium.

Qui febres simplices bene curare nouit, is & compositas noscet tollere.

Sic enim vbi vna febris in illa compli-

cation e alteri præpollet, præualenti plus operæ impendimus,non neglecta penitus cõplice.

Præualenti febri plus operæ impendendum.

Si pari passu ambulant, & veluti prorsus sunt æquales, æqualem vtrique curam præstamus.

Æquales æqualiter curantur

Ex compositis igitur febribus, solùm hemitritæum, tanquã notissimum, exempli loco, tractabimus. Febres enim, quæ internarum inflammationum, & erysipelatum, sunt comites, non curantur, nisi morbis illis vnde pendent, abolitis.

Syncopales verò febres cùm Gal. lib. 12. luculenter admodùm, ac perspicuè, sit prosequutus, operæprecium non est, vt vel à nobis aliquid adijciatur, vel Galeni verba huc transcribantur.

CAPVT XXII.

De hemitritæo, aut semitertiana.

Galeni hemitritæi acceptiones variæ.

GAl. in libello de typis cap. 4. varias hemitritæj acceptiones memorat. Aliquando enim semitertianã generatim nominat omnem febrem compositam ex quotidiana & tertiana, siue continuæ sint, seu intermit-

intermittentes: aliquando,& magis quidem propriè, eam continuis annumerat.

Cum autem ad continuitatem hemitritæi efficiendam alterutram (quotidianam dico, aut tertianam, è quarum ille miscella resultat) continuam esse oporteat; positóq; vel quotidiana continua cum tertiana intermittente coalescere, vel contrà, tertiana continua cum quotidiana interpolata; Galenus priorem febrium copulationem pro legitimo hemitritæo agnouit loco citato, quæ scilicet ortum ducat ab humore pituitoso in maioribus vasis, bilioso verò in minoribus, & à corde longiùs dissitis, putrescente.

Proprior hemitritæi acceptio.

Cæterùm Hippocrates j. Epid sect. 3. tex. 2. hemitritæi nomine non tam febrim descriptam, quàm tertianam omnem continuam, tertio quoq; die cum aliquo horrore fortiorem fieri solitam, de qua etiam 4. Aph. 43. intelligere videtur, quod validis sanè rationum momentis confirmat Thom. à Veiga loco citato parag. *Sed quoniam*, &c. Nam, experientia attestante, talis hemitritæus, non autem Galenicus, prope mortem comitatur tabidos, & alios è chronicis affectibus pereuntes, quod de suo hemitritæo affirmat Hipp. loco citato, quemadmodùm

Hemitrithæus Hippocraticus.

Hemitritæus Hipp. prope mortem comitatur.

dùm plurimi, citra alium morbum, è sola tertiana continua, quæ tertio semper die horrorem exiguum excitet, moriuntur, quos vulgus Medicorum mori arbitratur è tertiana notha subintrante, hoc est, cuius alter paroxysmus incipiat, priore nondum finito. Atq; hæc ab Hipp. mortalissima censetur; quoniam horror ille significat naturam quidem in singulis accessionibus conari bilem, cuius malitiâ irritatur, è vasis in ambitum corporis propellere; verùm in medijs conatibus deficere, id quod febris continuitas perseuerans ostendit, atq; hoc pessimum est omen per Aph. 46. sect. 4.

Opinio vulgi Medicorum.

Huius & signa, & curatio eadem est quæ tertianæ continuæ, inter simplicium febrium differentias descriptæ.

Signa.

Signa & curatio Gal. Hemitritæi.

SIgna porrò Galenici hemitritæi sunt: febris cum horrore non solùm inuadens, sed in bonam paroxysmi partem producta, qui horror quamuis remittat, paulò pòst, ceu noua ingruente accessione, recurrit, (Galenus reduplicationem hunc recursum horroris indigitat) propter illam videlicet quasi luctam humorum contrariorum bilis

tenuis,

tenuis, & pituitæ tenacis, quæ impedit, atq; retardat, exclusionem bilis, vnde restitat subinde, prodit tamen sudor, aut bilis vomitu, vel secessu, ferme reijcitur alternis solùm diebus, & maximè cum tertiani paroxysmi insultus cum quotidianæ continuæ exacerbatione coincidit. Diebus enim paribus, secundo, quarto, sexto, &c. quando sola quotidiana ægrum exercet, nihil istorum accidit, cæteraq; symptomata sunt remissiora.

Prognosis.

Morbus iste olim Romæ frequens, hodie rarior est, longus alioquin, difficilis, & valde periculosus, neruosas partes, potissimùm autem ventriculum offendit, multaq; alia incommoda secum trahit.

Curatio.

Febris hæc, quemadmodùm è complexu quotidianæ & tertianæ prouenit, ita etiam mistis earum auxiliis tractanda venit; id verò cumprimis discernendum, vter humor pituitosusñe, an biliosus alterum excedat. Nam si bilis copiosior erit, tertianæ dicatis remediis contra morbum pugnabim9;

pituita vincat, his, quæ in quotidiana recensuimus, liberaliùs vtemur. Verbo dicā: vniuersa curatio à tertianæ spuriæ therapeia parùm discrepat.

Cura á clysterio in initio auspicanda.

Remedia igitur erunt in initio *lene clysterium*, aut *eccoprocticon aliquod blandū*: deinde *phlebotomia*; postea *syrupi*, aut *apozemata*, quæ tum bilem attemperant, tum pituitā apparant, vt sunt:

Syrupus de duab. rad.
Bizantinus,
De hyssopo,
Oxym. comp.
Syrupus acetosus,
De cichorio cum rhab.
De acetos. citri. &c.

Post notas coctionis conspicuas, dilutum, vel decoctum, absinthij Pontici, rectè præbebitur; deinceps purgantia conueniunt,

Rhabarbarum V. G. *cum agar.*
Elect. diaphœnicon,
De psyllio,
Diaturbith, cum *rhab.* & *rad. mechoacæ puluerata.*

Adextremùm viscera coctioni seruientia roboranda

Trochiscis de rhab.

De ab-

De absinthio,
Diarrhodon Abbatis,
Diatrion santalon, addendo *duplum,*
triplumue, *rhabarbari.*

Ratio victus eodem spectare debet, quò pharmaca cætera, nempe, vt *aër* sit *temperatus*, *cibi facilis concoctionis*, & *vi refrigerandi*, atq; *abstergendi, præditi*; qualis est *ptisana, aliaq; ex hordeo parata edulia.* Victus ratio.

Potus esto: Potus.

Decoctum hordei,
Glycyrrhizæ,
Paßularum,
Sem. anis. &
Cinnam. Hæc

verò ipsa nequaquam offerri debent, nisi in vera febris remissione, & vbi ea venit, protinus danda sunt

Monet deniq; Corn. Cels. lib. 3. cap. 8. intempestiua cibatione plurimos in hoc morbi genere pessundari.

Somnus, vigiliæ, exercitationes corporis, vbi per vires licet, animi pathemata, omnia ad moderationem spectare debent.

Quintus Serenus cæteris periaptis hanc præfert schedam, collo appensam, in qua scriptum sit verbum: Periapta.

Abracadabra,
Abracadabr,
Abracadab,
Abracada,
Abracad,
Abraca,
Abrac,
Abra,
Abr,
Ab,
A.

Hactenus in vniuersum de febribus humoralibus.

CAPVT XXIII.
De febre hectica.

Hectica febris quid.

HEctica febris tum dicitur, cùm calor præter naturam in solida cordis substātia accenditur; constituitq; tertium, & summum, febriū genus; de quo (expeditis iam duobus alijs, quorū vnum in spiritibus cordis, alterum in eiusdem humoribus calefactis, versatur) in præsentia nobis agendum restat.

Est autem solidæ substantiæ non vna, & simplex, significatio. Quandoq; enim per solidum, latè loquendo, intelligimus, quicquid

quid à spiritu, & humore, seiunctum in partibus corporis numeratur: ita caro simul & adeps appellantur solida: aliquando ac propriè, veluti etiam hoc loco, per solidas partes spermaticas oportet inaudire. Sic Thom. à Vei. Com. in j. de diff. febr. cap. 8. sect. 4. parag. *Generantur igitur. &c.*

Calor is in cordis substantia defixus, humiditatem in solidis subsistentem, easq; proximè nutrientem (Gal. 7. Meth. cap. 6. rorē appellat) vel tantùm accendit, & ebullire facit; vel insuper depascit, atq; imminuit; vel iam omnem consumpsit, vt nihil eius supersit ampliùs. Vnde tres hecticæ veluti gradus, aut differentiæ, resultant. Prima simplex nominatur hectica; postrema torrida, seu, consummata; secunda medio inter vtramq; collocatur loco, & magnam patitur latitudinem pro maiori vel minori humiditatis illius consumptione.

Hecticæ differentiæ seu gradus.

Causa.

FEbris hectica vix vnquā hominem primò, ac per se, inuadit, agnoscitq; causas impensè calefacientes, & exsiccantes, ac subiectum valde ad id dispositum; ferèq; sē-

per excipit vel diarias, ex ira, mærore, inedia, diutius perseuerantibus, vel putridas & ardentes, præposterè curatas; vel internorum viscerum calidam siccamq; intemperiem, aut inflammationes suppuratas, vlcera, atq; corruptelas. Quinetiam à quibusdam venenis, aut medicamentis venenatis, propagatur.

In hac febre cor interdũ primario tenetur affectu, interdũ alijs visceribus cõsentit, 10. Meth. cap. 8. Plurimæ enim sunt partes siue calida siccaq; intemperie, seu inflammationibus, aut totius substantiæ corruptione, laborent, quæ cordi dein fixum illum calorem imprimunt, vt ventriculus, hepar, pulmo, pectus, mesenterium, intestinum ieiunum, colon, vterus, renes, septũ transuersum, ex quo tamen priùs mors, quàm hectica, occupat.

Signa.

Signa hecticæ. Calor.

Signa hecticæ sunt: calor ad primum attactum blandus, perseueranti tamen tactui acer, atq; mordax, & squalorem, seu ariditatem, præseferens, quem nihilominus æger, propter æqualem totius intemperiem, cordi consentientem, haud percipiat.

Is ipse

Is ipse calor multò manifestiùs in pulpis digitorum, volis manuum, pedum plantis, percipitur.

Propriùm verò, & inseparabile, indicium hecticæ est, quòd febrilis calor, licèt alioquin semper æqualis, sibiq; similis, hora tamen vna, & altera, post assumptum cibum, quandocunq; tandem is offeratur, manifestè augescat, & emicet, verùm sine annotatione, quemadmodùm in putridis vsuuenit, hoc est, sine prægresso horore, frigore, rigore, pandiculatione, &c. & quòd talis constanter perseueret, donec plena alimoniæ distributio fuerit facta, quod Gal. eodem modo contingere arbitratur, quemadmodùm calx viua ab aquæ conspersione exardescit, bullitq;.

Pulsus hecticarum est debilis, paruus, durus, frequens; à cibo tamen, vnà cum ipso calore, per aliquot horas increscit, & maior fit, atq; velocior. *Pulsus.*

Quin & arteria ipsa magis calet, quàm partes circumstantes. *Arteria calet.*

Ab vrinis nullum hecticarum signum desumitur. *Vrinæ.*

Adhæc, diaria, quæ vltra 24 horas producitur, hæcticæ gignit suspicionem.

Altera, marasmodes appellata, facilè deprehen- *Marasmodes.*

prehenditur ex facie Hippocratica, vnguium curuitate, & quòd æger quodammodo viuum sceleton appareat, hoc est, nihil præter ossa, cutimq́, ostendat, quæ digitis appressa, pellis siccæ modo, consistit, & riget.

Prognosis.

IN hecticam propensiores sunt naturæ calidæ siccæq́ vehementiùs, graciles, & pauci sanguinis, homines.

Hectica simplex, seu, primæ speciei, minori labore curatur, quàm cognoscitur: marasmodes contrà, vel tertiæ speciei hectica, prorsus est insanabilis; media, prout huic, aut illi, propiùs accedit, aliquando sanatu facilior, aliquando difficilior, euadit.

Mortis præsagium.

Mortis iam iam imminentis præsagiũ est, alui fluxus superueniens, siue colliquatiuus, seu prostratæ virtutis naturalis assecla.

Curatio.

Scopi curationis.

SCopi curationis in hectica, quæ sola, sinè alterius morbi complexu, subsistit (nã quæ vel putridam febrem, vel vlcus pulmonis, vt in phtisi coniuncta habet, non tollitur, nisi affectibus illis priùs abolitis.) quo-

nian

niam causam fouentem non habet, estq; intemperies calida; sunt refrigeratio, & humectatio, non solùm per ea, quæ qualitate humefaciunt, sed & quæ substantificam humiditatem procurant, & eam deperditam restaurant, quod ea tantùm efficiunt, quæ corpus bene nutriunt.

Porrò cùm refrigeratio, ceu quæ per efficacissimam, aut (vt loquuntur Scholæ) actiuam, qualitatem introducatur, breui admodùm perficiatur, periculo tamē haud vacat, in corporibus præsertim excarnibus, quali hecticorum, ex alijs morbis huc deuolutorum, esse consueuerunt. Moderanda igitur erit, & magis industriâ humectationi incumbendum, vtpote cuius actio ignaua est, & in qua modum excedere non possis.

Meteria curatiuis intentionibus idonea partim intus, partim foris, corpori occurrit. **Curatio.**

Intus quidem *aër inspirando attractus*, & ea, quæ *cibo, potuq;*, reficiunt: foris verò *circumfusus aër*, & *præsidia topica, refrigerantia, humectantia*: vt, *aquæ dulcis balneum*. &c. De singulis seorsim.

Aër sit *frigidissimus*, vel talis arte paretur, eo pacto, quo in febre ardente apparandum docuimus; ita tamen, vt is respira- **Aër.**

tioni quidem inseruiat, reliquum verò corpus minimè feriat, quod proinde *stragulis* bene tectum, & vndiquaq; munitum, esse debet. *Hyeme* oportet *eum* quadamtenus *calefacere vapore aquæ calentis.*

Cibus. Cib9 prębeatur *boni succi, non facilè dissipabilis, neq;* etiã *concoctu difficilim9.* Talis est vel spõte sua, seu, propria natura, vel præparatione

Carnes. euadit talis: vt, *pull9, capus, pipio, nephrens; hædina, agnina, vitulina, veruecina; horum animalium pedes; paruus cuniculus, lepus iuuenis; teneriores aues; oua sorbilia; lac,* de cuius vsu infrà

Pisces pluribus; *pisces saxatiles,* & qui ab horum bonitate proximè absunt; *trochtæ, anguillæ, in aquis salubribus captæ,* & *bene præparatæ; hepata* item *piscium; testudo nemoralis, cochleæ gambari, cancri,* & *ranarum coxæ.*

Frumentacea. Ex *frumentaceis cremor hordei* commendatur.

Olera. Ex *oleribus, endiuia, lactuca, spinachia, malua, portulaca, borrago, buglossum.*

Fructus. Ex *fructibus, poma dulcia, cucurbita, cucumeres, amygdalæ dulces recentes,* & *nuclei pini eiusdem ætatis,* si priùs noctem vnam in aqua violarum macerentur.

Nota. Notandum tamen interim, ea quæ in isto catalogo durioris sunt consistentiæ, inter initia morbi, cùm vis concoctrix etiamnum

num

num valet, offerenda esse, reliqua posterius.

Elixa cum *suo iure* absumantur; vnde Hippocrati meritò assatis, ceu promptè bilescentibus, præferuntur.

Salis verò quàm minimum edulia omnia habeant. Sal.

Condimentum cibo, cæteris aromatis omnibus abdicatis, parabitur ex *croco*, vel *succo citri*, aut *limonum carnibus*, inspersum. Condimenta.

Cum carnibus porrò perpetuò aliquid elixetur, quod alteret, & (si videatur necessarium) alimentum reddat stabilius, cuiusmodi censentur: *prædictorum olerum aliquod, hordeum, particula porcelli, pes vitulinus*. Carnibus incoquenda.

Ex eadem materia fiet *gelatina*, vel hæc ipsa, quemadmodùm etiam interiora carnis assatæ, succi adhuc plenæ, prælo subijci queunt, indeq; profluens liquor præberi, aut, quod *consummatum* vocant, confici, deq; eo vnum, aut alterum, cochlear cæteris ferculis permisceri potest. Gelatina. Consummata.

Sunt qui hæc ipsa in B. M. destillant, gustui quidem non minùs iucunda, viribus autem multò inferiora. Destillata

Suaue, & vtile, *edulium* componitur è *iure pulli*, cum *emulsione quatuor sem. frigido-*

rum maiorum, & *saccharo*: aut *hordeum ad mollitiem discoctum*, cum *vitello oui*, vel *cancri* bene præparati, mundatiq́; cum *cremore hordei, amygdalis*, & *saccharo*.

Cancrorum & Gamarorum præparatio.

Consistit verò cancrorum, & gamarorũ, præparatio in eo, vt abiectis testis, chelis, & pedibus, cum lixiuio, atq; cinere, ad emendandam odoris fæditatem bene fricentur, cum aqua lympida aliquoties abluantur, ac tandem in *iure gallinæ*, aut *simili*, elixentur.

Cochlearum præparatio.

Cochleæ verò ita parantur: Coquuntur in aqua, & lixiuio, parùm salitis, dein ablutæ ex aqua, vel hordeato, vel pulli iuscu lo, ad mollitiem denuo percoquuntur. Verumenimuerò præstat tam cochlearum, quàm gambarorum, aliorumq́; huius generis, expressum succum vsurpare, quàm carnes edere.

Quo respicientes aliqui, *pullos* offerunt, *carne gambarorũ*, aut *cochlearum*, cùm *tritico*, & *hordeo*, *priùs elixi*, *nutritos*.

Oua.

Oua item *sorbilia* multùm conducunt, vbi, salis vice, *saccharo* consperguntur.

Oryza.

Plurimùm quoq; nutrit *oryza*, cum *iure caponis* parata, ac *pulticula ex amylo*, & *lacte amygdalarum*.

Panis triticeus.

Adhæc *panis triticeus* ex aqua aliquoties ablu-

es ablutus, & expressus, ac postea cum *iure pulli, capiúe*, adiecta *sem. frig. maiorum emulsione, & sacharo*, percoctus. Vel, si is ipse *lacti recens mulcto*, citra aliam cocturam, infriatus solus edatur.

Cibus hecticis patiendus.

Cæterùm quamuis hectici, ob multam corporis resolutionem, copioso cibo indigeant; quia tamen calor ipsorum debilis nequit illum euincere, consultum est partitis vicibus parum aliquid offerre, & alimoniæ multitudinē frequentiā compensare. Singulis igitur quatuor horis, & semel etiā de nocte, aliquid præbebitur; nā vitanda hecticis est modis omnibus tam fames, quàm sitis.

Potus.

Potus erit aqua, vel feruefacta solùm, vel quæ aliquid sacchari adiectum habeat, vel in qua bullierit hordeum ad rubedinem vsq; vel deniq; in magna virium, & ventriculi, imbecillitate vinum album, tenue, olygophorum, aqua probè dilutum, aut fontana, aut buglossæ, aut nymphææ.
Vbi alus profluentior est, *aquā hordei, & milij* torrefactorū cū *gummi Arabico* propinabimus

Lac.

Inter ea quæ per ós dantur, præter recensita edulia, primas meretur *lac*, quod manè ab vbere calens protinus hauriri debet. Præfertur autem alijs in hoc genere (teste Gal. Meth. 12. & 7. lib. cap. 6.) hu-

manum lac, mulieris sanæ, boni habitus, duobus circiter mensibus à partu distantis; deinde asininum, pòst caprinum, postremo loco vaccinum, dempto iam butyro. Dosis ab vnc. ij. ad lib. ſ. & lib. j. dummodò in ventriculo non coaguletur, aut corrumpatur, velut innotescit ex ructu acido, fætido, amaritudine oris, febris, ac sitis, incremento, pulsu maiore, celeriore, & lotio coloratiore.

Signa corruptiaut coaguli in ventriculo lactis.

Coagulationem porrò lactis in stomacho impedit tantillum sacchari adiectum.

Coagulationem lactis quid impediat.

Præsente autem diarrhæa minimè exhibendum est lac, nisi priùs ignitis silicibus vstulatum.

Cæterùm ab assumpto lacte neq; indormiendum, neq; alius vel cibus, vel potus, quatuor horarum spatio ingerendus.

Ptisana.

Iis porrò, qui per Aph 64. sect. 5. ab vsu lactis arcentur, commodùm præbebimus *ptisanam ex iure pulli per se*, aut *elixatis in eo prius præparatis cancris*. Quantitas eius est vnc. v. cum vnc. ſ. syr. viol.

Aqua stillat. limacum.

Aliqui celebrant *aquam stillatitiam limacum*, cum *eiusmodi quopiam syrupo* datam.

Electuaria, & condita.

Electuaria, condita, aliasq; instaurantium medicamentorum formulas, de industria hic, ceu passim apud auctores obuias, silentio inuoluimus.

De iis,

De ijs, quæ forinsecus adhibentur, humectantibus, refrigerantibus, præsidiis, Galenus balneo plurimùm tribuit lib. 10 Meth. cap. 10. Si tamen absint, quæ illius vsum inhibere possunt: vt, inflammatio interna, aut visceris alicuius præstantioris insignior debilitas, alui fluxus, cruditas, & febris putrida. Erit autem id è dulci aqua comparatum, calidiusculum, non vsq; adeò tamen, vt sudorem proliciat. Trallianus 12. lib. cap. 4. lactis more, tepentem balnei aquam exigit, cui paulatim affundenda est frigida, aut eovsq; illic desidendum, donec sponte sua refrigeretur. Poterit autem, vbi vires consentiunt, bis die adhiberi, sed, antè balnei ingressum tribus, quatuorvé, horis aliquid cibi coctu facilioris æger delibauerit oportet, ne animo linquat. Sunt qui aquæ balneo destinatæ incoquunt lactucam, violariam, nymphæam, caput, & pedes arietinos, vitulinos. Balneum.

Postquam balneare desijt, vngetur secundùm spinam, & pectus maximè, oleo violarum, & amygdalarum dulcium, butyroue recenti. Aut:

℞. *Ol. amygd. dulc.* vel *communis recentis, non saliti, lib. iij.* Vnguentum.

Vini albi dulcis lib. ʃ.

Aquæ

Aquæ simplicis q. ʃ. Infundantur
Foliorum lactucæ,
Maluæ, *an.* M. j.
Violarum M. ʃ.
Rosarum recent. vel *earum quæ post destillationem supersunt.* P. ij. Coquantur in vase duplici ad exhalationē vinj, & aquæ, quod reliquum est exprimatur. Hoc vnguine illinantur molliter partes primùm infernæ, mox & supernæ.

Ad cætera topica quod attinet, cognitum priùs habere oportet locum primò affectum, seu, à quo hectica, vt fonte, propagatur: non enim semper à corde ipso incipit, licèt cor necessariò afficiatur, vt dictū fuit. Illi igitur parti, quæ cor in sympathiam pertrahit, suaq; calidiori dyscrasia febri huic occasionem præbet, siue sit ventriculus, siue hepar, &c. ea applicabimus, quæ ardorem, squaloremq;, attemperant, cuius generis reputantur: *Vng. refriger. Galeni*, *farina item hordei*, *succo portulacæ*, *lactucæ*, aut *sempervivi maioris*, *in cataplasmatis* formam redacta, quæ subinde vbi incaluerit scilicet, permutare conuenit.

Epithemata.

Huc etiam reuocari merentur *epithemata* in tractatione febris ardentis proposita; sed acetum est omittendum.

Præ

Præparantia, purgantia, venæ sectio, nullum in hoc morbi genere locum habent. Opportuni tamen sunt *clysteres* parati *ex solo lacte caprino*, aut *optimo iure carnis*; vel *cremore hordei* cum vnc ij iiij. *flor. cassiæ* in adstrictiore aluo: vel componuntur etiã *e butyro rec. mucilagine cydoniorum, iusculo caponis*, aut *decocto lactucæ, violariæ, vitello oui, & sacharo.*

Somnus indulgetur bene *longus*.

Animus esto *tranquillus*, & *moderato* quandoq; perfundatur *gaudio*, omnes alios grauiores affectus fugiendo.

Corpori quoq; ab exercitatione vacatio, & *quies*, adeò est necessaria, vt Gal. loco citato malit ægrum in balneum deportari, quàm eò pedibus descendere.

Hæc de febre hectica, alijsq; tam simplicibus quàm compositis, febribus, ad Omnipotentis Dei immortalem gloriam dicta sint satis.

Errata corrige.

Fol. 30. Pro calore tincta est, *lege* colore &c.

Fol. 49. Is igitur instaurandis, *lege* Iis igitur &c.

Fol. 67. Petrus Sarius, *lege* Petrus Salius

Cætera, si quæ reperientur, tanquã leuia, facilè lectio ipsa emendabit.

Alterij remedium contra hect[...] ne-
[v]idalem, affectu[...] ad eu[m] sedandam
Herb: Scolopendia veronica.
[wierzbatki]
Betonica summitat. cent. noris.
[centaurea]
Flor. Chamomill. aa. m. j. Mis[s]
[misceatur rowne]
concis[a] detur. [...] manipul[...]
4ta. aequae[...] ad coquend. per
[szczypetka]
modu[m] thae. pugillus [...] coquatur.
Recipe [...] Deran[...]
R[ecipe] Corallia rubra [...] praeparata[...] ad sanguine[m]
sedandum.
Mater perlar[um] ℥ij [...] depu-
rati. aa ℥ij. Misceatur si ghetur
[...] [...]
cuspis cultri in potu thae sumen[da]
duobis aut ter. per diem:
Si magna debilitas [...] post cu-
[...] pulverem [...] [...] ent.
[...] [...] [...] [...] [...] un[c]
[...] [...] ℥j [...]
Spiritus Nitri dulcis. ℥ij
Misceatur [...] eundo cubitum
sumatur gutt. 40. ad fluxum
hemorrhoidalem. [...] excessu[m]
cohibendam. [...] [...]

unguentus. Comis'sore: Grafoua-
mosc: et inventile. na smaro
dennie plec [illegible]

Balsam Sulphuris de terug
uncia semis
Signetur calide
perungatur. Sdp'9
choć i co dwie godziny.

[illegible] modernum, Syn[illegible]ma | na ne- mene[illegible] Comitis
curand. propter fluxum
[hemor]roidalem; Recipe Ung
detur, Signetur [illegible] Krzy
masc do smarowania [illegible] Zow

Hirney se Dost

Zapalenie Hemoroidow

Flor. Sambuci: | Balsam Sul-
Mellilotj | phuris
Chamomill. Krymianku
Semlenini, in lacte coque
~~na lata [illegible]~~ cataplasma in tepid[illegible]
applicari deberet.
Illstem. 1. Axung. Cervi, Hirci, cu[illegible]
guandie rape
ab acerbissimo dolore sanatis [illegible]
[illegible] ideo signett, [illegible]
validè opportunissimum remedium.
Germanicè qui ad idioma:
Von. 13 über flussige blutt
[illegible] Hemoroides. 4.6.8. Tag[illegible]
na fru an der h. milis mit [illegible]
[illegible] fall. [illegible]
* [illegible] Plaviah
Rec. Alu[illegible] [illegible]ra: [illegible] Cha-
lybs [illegible] grum candens [illegible]
retine ei retinendo sed
[illegible] dum balsam. [illegible] Mis.